Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christian Kortholt

De Tribus Impostoribus Magnis Liber

Hamburgi: Reumann, 1700

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

~~VIII. 1035 1-4~~
Theol. 87. 1-4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0002
DFG

3.

DE

TRIBUS IMPOSTORIBUS MAGNIS LIBER,

cura editus

CHRISTIANI KORTHOLTI,
S. Theol. D. & Professoris Primarii.

HAMBURGI,
Imprimebat Joachimus Reumann.
Anno 1700.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0006
DFG

BENEVOLO LECTORI
S. P. D.
SEBASTIANUS KORTHOLT.

LUci nunc iterum expono, quem Parens meus de tribus Impostoribus conscripsit librum, qui Herberti occultam calliditatem, Hobbii tectas insidias, tacitasque Spinosæ inimicitias, ne cui sint fraudi, ante omnium oculos ponit. Noverat enim pie defunctus Pater telum a tergo quam in conspectu haberi magis periculosum, & majus esse malum cujus vim latentem minus persentiscimus. Quocirca, ne impiorum Scriptorum lectores ignes ejusmodi fatuos per avia & præcipitia cœco impetu sequantur; Pater solis vice matutini functus est, qui lumen suum orbi offert universo, licet dormientibus inutile, at vigilantibus non sine commodo usurpandum. Neque enim operæ paternæ amatores, neque Triumviris istis sui deerunt sectatores. Nemo tamen unus adhuc, quod sciam, laborem hunc publice improbavit. Solus forte Galliæ Polyhistor Cl. Adrianus Bailletus nodum quærit in scirpo, & cum ipsi libro refragari merito non possit, ejusdem titulo temere adversatur, reprehenditque Parentem meum, quod inipso statim limine offenderit, & memoriam libri detestabilis de tribus Impostoribus refricare non dubitaverit. *N'èt-ce point*, inquit (a) *à une grande bizarrerie d' esprit, qu'il faut attribuer l' imagination qu'a eue un Ecrivain de la Basse Allemagne* (ad eram legitur: *Christian Kortholt*) *de vouloir reveiller en nous le souvenir du déteſtable livre des trois Imposteurs Edouard Herbert, Thomas Hobbs, & Benoist de l' Espinosa*? Simili in culpa Lamonianæ Bibliothecæ præfecto fuisset, si ipsi innotuisset, Scriptor libri de tribus hujus seculi famosis Impostoribus P. Ottomanno, Mahomed Bei sive Jo. Michael Cigala & Sabatai Sevi, qui anno sexagesimo sexto in Anglia, & non multo post in Germania publici juris factus est. Etenim præter Parentem meum lacessit scripti de tribus Impostoribus Catholicis auctorem, cui deliri nomen, non aliud (b) tribuit.

* Lo-

(a) *jugemens des savans sur les principaux ouvrages des Auteurs à Paris* 1685. 8, T. 1. *ch.* 13. *p.* 539.

(b) Bailleti verba sunt: *Et peut-on s' empêcher de prendre pour un visionnaire un autre Ecrivain plus recent, qui a pris le même titre des trois Imposteurs, pour écrire contre trois Auteurs Catholiques de la premiere reputation?*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0007
DFG

Loquitur autem sine controversia de Morino, cui Gassendus, Nevreus & Bernierus Impostores audiunt in libro qui inscribitur : Vincentii Panurgi Epistola de tribus Impostoribus ad Cl. virum Jo. Baptistam Morinum D. M. atque Regium Matheseos Prof. Paris. MDCLIV. excusa. Morinum ipsum partum hunc enixum & suppositum esse nomen Panurgi Celeberrimus Ægidius Menagius testificatur probeque observat (c) acu Baillet-tum rem non tangere, quum falso asseverat, prodiisse ante Morini librum anno demum octogesimo hujus seculi publicatum Patris mei laborem ; quem auctiorem modo iterum B. L. titulo non mutato, tecum communicamus. Neque enim vitio vertes, opinor, Parenti, quod librum inscripserit verbis argumento apprime convenientibus, mentionemque fecerit operis notissimi de tribus impostoribus. Quod an unquam extiterit adhuc in controversia est, quam & Pater in medio merito reliquit. Novi ego Oratorem sacrum apud Batavos, de cujus fide derogare non solebam; is librum hunc impium Roterodami penes quendam se vidisse affirmabat, ejusque etiam nomen mihi indicabat, quem tamen quod minus commode valeret convenire tunc non poteram. Quum vero postmodum hac de re scriberem ad celeberrimum Polyhistorem Petrum Bayle, hisce verbis Roterodami VII. Id. April. anni MDCIC. exaratis respondit : *Falsissimum est extare in Bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum de tribus Impostoribus, videnturq; mihi omnes suspecti esse debere vel nomine fidei, vel nomine diligentiæ, quicunq; jactant se tale opus manibus trivisse.* Fac autem, illud alicubi latitare, & titulum ipsius ad memoriam non esse revocandum : cur itaque Polyhistori eundem tuo, adeoque æternitati (quam illi forte polliceris) allatis verbis inseruisti, Baillete ? Et quid causæ est, cur nomines librum infamem, cui exsecrabilem *de laudibus Sodomiæ seu Pæderastiæ* titulum indis, ejusdemque auctorem facis Casam Archiepiscopum Beneventanum, quem de immani scelere inique & injuste accusavisti : cum fuse dataque opera Menagius tueatur, (d) abominandum ejusmodi abortum ab hoc Poëta nequaquam profectum esse : Id quod pluribus ostendi in dissertatione de Poetis Episcopis. Tu vero, Baillete, non solum indicas nomen tartarei fœtus, & ipsius parentis, sed obstetricis etiam, nec patriæ atque ætatis oblivisceris ; cum memoriæ prodis, Jo. Casæ librum de laudibus Sodomiæ

(c) *Anti-Baillet T. I. p. 267. 268.*
(d) *Anti-Baillet T. II. a pag. 88. usq ad pag. 153. conf. Bayle Diction. Hist. & Crit. T. II. p. 594. & 1197. 1198.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0008
DFG

miæ seu Pæderastiæ typis Trajani Navi Venetiis anno MDL. in lucem esse editum. *Si'l en avoit sçû d' avantage*, inquit non nemo, (e) *sa plume n'en auroit point rougi, & il n'en auroit pas epargné la honte à ses lecteurs.* Quæ cum ita sint, mecum fatebitur candidus Lector, Lamonianæ Bibliothecæ præfectum perperam redarguere inscriptionem libri de tribus Impostoribus, & nullius plane momenti esse ipsius animadversionem; quam etiam alii tituli Patris mei libris præfixi effugere haud potuerunt. Quamlibet enim aliquas dissertationum suarum *Anti-Baronianas* recte inscripserit, & album ubique respondeat rubro, in hisque nihil Baronio non oppositum deprehendas, titulum tamen rursus aggreditur & impugnat Bailletus, Momo non dissimilis, qui sandalium Veneris culpavit cum Venerem non posset; aut cum fabulosa vulpe comparandus, quæ oram tantum lagenæ frustra lambebat, quum ipsum attingere pulmentum non liceret. Hoc vero est rodere dente corticem, ubi nucem frangere, nucleumque consumere nequeas. Hoc est rivulos sectari fontibus relictis. Hoc est denique *remarquer un brin d' herbe dans un pré*, quali locutione censor noster ûtitur, cum *le Sieur Kortholt*, inquit, (f) *a-t-il remarqué dans Baronius un trait qui ne luy plaisoit point touchant le pain Eucharistique, c'êt à dire un brin d' herbe dans un pré, aussi-tôt il dresse un Anti-Baronius, ou du moins des disquisitions Anti-Baroniennes, qu'il fit imprimer à Kiel en 1677. deux ans apres l' Anti-Baronius d' Amsterdam ou de Magendie. Si cette licence a du cours, & si les autres censeurs de Baronius sont tous faits comme ceux-cy il ne faut desesperer que nous puissions voir quelque jour dix mille Anti-Baronius.* Fontem, unde Bailleti error promanat, ostendam descripto libri paterni titulo. Christ. Kortholti D. Disquisitiones Anti-Baronianæ. Accedit ejusdem Exercitatio Anti-Salmasiana de pane ἐπιούσιῳ, quem in oratione dominica petimus. Kilon. 1677. Haud scio an festino hunc oculo strictim & per transennam adspexerit Gallus; inde figmentum, Patrem Anti-Baronium de Pane Eucharistico contexuisse, quod tamen argumentum Disquisitiones Anti-Baronianæ nequaquam tangunt, ut cuivis eas consulenti patebit. Forte autem de colore cœcus, & ne ipsas quidem dissertationes manibus trivit Bailletus. Nam alibi, (g) *J'ai ouï parler*, in-

(e) v. *Reflexions sur les jugem. des Savans envoyées à l' auteur par un Academicien. à la Haye* 1691. 12. *Ep.* 4. *p.* 156. 157.

(f) *Des Satyres personelles Traité Hist. & Crit. de celles qui portent le titre d' ANTI. à Paris* 1689. 8. *n.* CLVI. *S.* 2. *p.* 245.

(g) *Des Satyres personelles nom.* LXXII. *p.* 377. *du prem. Tome.*

inquit, *d'un petit Anti-Salmasius composé par Mr. Kortholt, Professeur à Kiel dans le Duché de Holstein, que ie crois encore vivant. On dit qu'il attaque Mr. de Saumaise sur les sens que doit avoir le mot de Pain qvotidien, dont il èt parlé dans l'oraison dominicale; & qu'il a eté imprime depuis onze ou douze ans avec une espece de petit Anti-Baronius. J'attens quelques eclaircisemens sur cet Anti-Salmasius, pour pouvoir vous en parler avec plus d'exactitude.* His satisfacturus votis in Bailleti gratiam descripsi titulum disputationum a Parente Baronio objectarum, quas si de facie modice noviſſet, earumque frontem solam uno minimum adspectu & quasi præteriens consideraſſet Bailletus; Patri meo neque Anti-Baronium neque Anti-Salmasium perperam affinxiſſet. Quo vero orationem meam pietas provexit? cum propositum mihi non sit Anti-Bailletum scribere. Legat, qui plures Bailleti nævos agnoscere volet, Menagianum Anti-Bailletum. (h) Is gravioresejus errores perstrinxit anno hujus seculi octavo supra octogesimum, quo Bailletus in lucem edidit *Pueros Doctos.* (i) In hoc libro quid desideret & quid sibi displiceat Menagius non exposuit. Proinde id negotii suscepi in Dissertatione de Puellis Poëtriis ab Adr. Bailleto dicto libro omisis; quibus quamprimum adjungam centuriam Puerorum doctorum ab eodem non memoratorum; prætereaque Poëtas non parum multos eosque præstantisſimos, quorum non meminit in quinque iis sacratis voluminibus, ab oblivione propediem vindicabo, & quomodo Aristarchus noster hallucinetur fusius exponere adnitar. Sed redeamus illuc, unde divertimus, ad Triumviros, quos, ringente licet Bailleto, meliori quam trium Impostorum magnorum nomine afficere Pater non poterat; postquam in scriptis eorum quot verba, tot fraudes, tot scelera, tot exsecrationes deprehendisset, probaviſſetque impiam hanc trigam non hostes legitimos, sed sicarios potius & prædones esse; qui omnem moveant lapidem, ut Christianam doctrinam cuniculis oppugnatam funditus evertant. Mihi animus jam non est falcem meam in paternam messem immittere, iisque ulterius aliquid addere, quæ libro hoc copiose sufficienterque pertractantur. Si quis tamen de Herberti Baronis de Cherbury vita ingeniique monumentis adhuc plura scire fortasse desiderat; is adeat Guilhelmum Dugdale operis de Ba-

(b) *Anti-Baillet ou Critique du livre de Mr. Baillet, intitulé jugemens des Savans par Mr. Menage. à la Haye 1688. 12.*

(i) *Des Enfans devenus celebres par leurs etudes ou par leurs ecrits Traité Histor. à Paris. 1688. 8.*

Baronibus Angliæ Scriptorem luculentum; de Hobbii autem vita & scriptis vel jam excusis, vel manu etiamnum exaratis, & plurimis ejusdem adversariis evolvat librum, paulo post patrium hunc divulgatum, editore R. B. qui est Radulphus Bathurst, S. T. D. Latinorumque in Anglia poetarum facile Princeps, amicus Hobbii, ac fautor meus plane singularis. (k) De Spinosa denique post Parentem verba fecit celeberrimus Petrus Bayle. (l) Plenius ille de Spinosæ vita, scriptis & Antagonistis edisserit quam editor operum ejus posthumorum, utpote qui vitæ ejus rationem breviter tantum attingit. His si pauca quædam nota parum & literis nondum prodita subjungam: rem non ingratam *B. L.* me facturum confido. Nihil autem addam, nisi quæ ipse ante aliquot annos, cum Hagæ Comitum agerem, coram accepi a viris eruditis & integerrimis, Spinosæ inprimis domesticis, atque hospite H. van der S. . . viro fide dignissimo, & pictore perquam artificioso, qui vultum etiam Athei expresserat. His testibus Benedictus Spinosa Patre mercatore Judæo natus Amstelædami & Baruch appellatus, a puero magnum in se odium patris concitavit, quod destinatus mercaturæ totum se literis dedit. Latium sermonem ductu & auspiciis virginis doctæ arripuit una cum D. Kerck. . . Hamb. cui discipulo postea Magistra nupsit. Mortuo patre patriam, hæreditatemque omnem (si lectum unicum excipias) cognatis reliquit. Neque tamen Belgium unquam deseruit, sed primum Renoburgum, deinde Voorburgum & demum Hagam Comitum se recepit, ubi de convictu & habitatione dictus H. van der S. illi accommodavit, & vitam egit maxime solitariam. Verissimum utique est, quod ab operum Athei posthumorum editore relatum legimus, integros aliquot menses domi eum sedisse. Nimis enim diligens de multa etiam nocte studiis operam dedit, & tenebricosa scripta sua ab hora decima vespertina usque ad tertiam potissimam partem elucubravit, & de die hominum se consuetudini plerumque subtraxit, ut ne periret hora, qua non & ipse periret, & alios etiam perderet. Firmant ejus rei fidem, quæ Serenissi. Cimbriæ Ducis Consil. Dn. Christ. Nic. a Greiffencrantz, qui Hagæ anno hujus seculi septuagesimo secundo cum Spinosa versatus est, in suis ad Patrem meum literis IIX.

(k) *Th. Hobbes Angli Malmesburiensis Philosophi vita. Carolopoli ap. Eleutherium Anglicum sub signo veritatis.* 1681. 12.

(l) *Diction. Hist. & Critique à Rotterdam* 1697. *fol. T. II. a pag.* 1038 *usque ad pag.* 1100.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0011
DFG

Id. Apr. A. MDCLXXXI. Holmia Suecorum missis de eodem, *sibi*, inquit, *soli vivere videbatur, semper solitarius, & quasi in museo suo sepultus.* De Spinosa itaque Seneca dixisset, quod de Servilio Vatia in villa sua tanquam in sepulchro semper latente præteriens scite ajebat: *Vatia hic situs est.* Nonnunquam tamen vitris poliendis mentem recreavit, qualia visu non indigna cum picturis quibusdam ab eadem manu profectis ejus hospes coram monstrabat: vacavitque interdum doctis & principibus viris, quos non tam convenit, quam admisit, cumiisque de rebus civilibus sermones instituit. Politici enim nomen affectabat, & futura mente ac cogitatione sagaciter prospiciebat, qualia hospitibus suis haud raro prædixit. Judæis etiam domestico usu non semper interdixit, & temporis aliquid discipulis concessit, quos opinionum pravitate gratis inficiebat. Nam gratis malus fuit Atheus. Se tamen professus est Christianum, & vel Reformatorum vel Lutheranorum cœtibus non modo ipse adfuit, sed & aliis auctor sæpenumero & hortator extitit, ut templa frequentarent, domesticisque verbi quosdam divini præcones maximopere commendavit. Nec unquam jusjurandum aut petulans de Deo dictum ex ore Spinosæ exiit; nec largiore usus est vino, & satis duriter vixit. Ideoque hospiti quavis anni parte LXXX. aureos Belgicos tantummodo persolvit, & summum CCCC. quotannis impendit. Auro plane non inhiabat, alioqui delata sibi Professoris munera aliquoties non respuisset homo gloriæ avidior & nimis ambitiosus, qui vel cum Wittiis amicis suis crudeliter dilacerari sublatius optavit, modo vita brevi gloriæ cursus foret sempiternus. Etenim cum XLIV. annum ætatis excessisset, vixque per sexennium apud memoratum pictorem degisset, laboribus nocturnis enervatus Philosophus ægrotare cœpit. De vita semper tamen cogitabat mortis immemor imminentis, & ad hospitem die 21. Februar. A. cIↃIↃCLXXVII. ad audiendum oratorem sacrum horis pomeridianis tendentem, finita, inquit, concione, DEO volente, ad sermones redibis. Cum vero domum hospites nondum revertissent, præsente solo Doctore Medicinæ Amstelædamensi impuram animam & extremum halitum placide efflavit. Qualis obitus an Atheo competere possit, in disceptationem ab eruditis non ita pridem vocatum est. Vita functo Spinosa plures docti, in iisque Cl. Bontekoë, librorum ejus hereditatem adire summopere expetiverunt. At ingentem eorum supellectilem perinde atque Hobbius magni non fecerat, & vix

XL.

XL. reliquerat, quos maximo sibi pretio eruditi comparaverunt. Hos inter non offendebatur de *Iride* Tractatus multa Spinosæ opera conscriptus, quem fortassis etiam nunc uspiam delitescere putat editor operum ejus posthumorum. (m) At vero pro certo habeo auctorem, anno sibi emortuali, non luci sed flammis librum consecravisse eodem die, quo omnes ferme viarum Hagensium tractus festivis ignibus elucebant; quocirca se jocularia illa fulgura imitari, & domi suæ plausus & solennes excitare flammas jocabatur addens: diu multumque his excogitandis & describendis studium navavi, quæ nunc certe nemo homo perleget. O utinam & reliquos clarissimæ veritatis luci tenebras obducturos labores, errantis illa phantasiæ opificia, & fœdissima corneæ portæ spectra, in orcum, unde venerant, releganda, ignibus pariter vindicibus abolevisset, ut ne in flammas nullo exstinguendas tempore suum abducere lectorem possent! Sed, ut post obitum etiam nocere non cessaret, libros sua manu exaratos, hospitis de mortalitate ipsum admonentis curæ, pridie quam excessit e vita, commisit, ut cum Jo. Riversenio librario Amstelædamensi communicarentur. Quo facto eodem anno Opera Posthuma in manus hominum delapsa varias eorum censuras subierunt, dum ea extra modum absona & impia esse judicaverunt cordati omnes. Frustra igitur eorum utilitatem & fucatam simulatamque Scriptoris pietatem editor commendat. Neque enim e spinis colligimus ficus aut uvam. Et in Spinosam divinarum literarum testimoniis cœlestisque doctrinæ specimini bus abutentem quadrare apte videtur illud Servatoris: *Ceciderunt in spinas: & adscenderunt spinæ, & suffocarunt ea.* Quapropter bene utique actum est cum sacro codice, quem latine vertere inchoaverat, quod ultimam ei manum haud imposuerit, nec in lucem a se depravatum Opus DEI protraxerit monstrosissimarum parens opinionum, Spinosa. Hæc habui dicere de famoso Atheo, quibus plura nunc quidem addere supersedeo, ne diutius morer lecturos Parentis librum. Hic uti incudi novæ subjiceretur ansam inprimis præbuit, qui me illum nuper popposcit Cl. Petrus Bayle, & qui plures etiam expetivit, Angliæ honos, Thomas Burnetius. Is in humanissimis literis Londini XII. Kl. Decembr. anni MDCIC. ad me datis, *inter tractatus*, inquit, *a Patre tuo Clarissimo conscriptos sunt non pauci, qui apud nos raro aut nunquam conspiciuntur.* Cumque idem etiam doctos in Ger-

(m) *v. præfat. B. D. S. Operum posth. editorum* 1677. 4.

Germania viros affirmare passim audiverim, operam dedi, ut explerem desiderii illius exspectationem. De Julio Cæsare M. Tullius ajebat: Cum Pompeji statuas reficeret, suas illum erigere. Ego vero nequaquam gloriolæ alicui meæ, sed tuæ, Lector, utilitati, inservire, si non mei, paterni tamen ingenii monumentis pro virili parte conatus sum. Adhæc curavi etiam, ut omnes Patris mei latino sermone exarati, & ab ipso recogniti ante obitum locupletatique labores, quorum in tabernis librariis copia amplius non est, sub prælo Lipsiæ sudent, qui brevi in conspectum tuum proventuri sunt. Certum enim mihi constitutumque est, non committere, ut aliquis librorum a Parente elaboratorum sive Latinorum sive Germanicorum dispereat, aut pro derelicto habeatur. Quorum Syllabum cum Reverendissimus Abbas Luccensis Gerhardus & venerandæ dignitatis Orator Meckenius a concionibus sacris Sereniſſimi Daniæ Principis, atque alii Patroni & fautores bene multi, aut coram aut per literas a me desideraverint, non potui non efficere, ut is una Lipsiæ edatur, quo eorum vel auctoritati obtemperarem, vel voluntati obsequerer. Vale.

PRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0014
DFG

DE TRIBUS IMPOSTORIBUS MAGNIS.

PROOEMIUM.

PErquam famosus omniumq; ore decantatus est liber de Tribus Impostoribus, quem, conatu plusquam tartareo, sive Petro Aretino, sive Poggio Florentio, sive Bernh. Ochino, sive nescio quo alio impietatis magistro obstetricante, superiori seculo enixus est CHRISTI doctrinæq; & Ecclesiæ Christianæ hostis ille ἄσωνδ⊙, Draco infernalis. Et licet non desint, qui, an unquam opus tam execrandum publicam orbis lucem adspexerit, in dubium vocent; alii nihilo minus, quod omnino prodierit, & a viris fide dignis lectus sit sacerrimus iste liber, idoneis se documentis comperisse testantur. Quo de videri possunt quæ monuimus sub initium Thaumatographiæ nostræ. Imo non adeo pridem vir doctus, conspectum sibi fuisse hunc Cacodæmonis fœtum in Potentissimi cujusdam Germaniæ Principis Bibliotheca aulica, sub alio tamen quam de Tribus Impostoribus titulo, sancte mihi affirmavit. Similiter amicus alius, A.A.L. cujus a multis annis ex familiariori conversatione certisque indiciis perspecta mihi fides, quod anno ols loc LXVI. Genevæ apud Bibliopolam quendam eundem illum librum viderit & inspexerit, comparaturus quoque, ni casu quodam ab alio emptore fuisset præventus, his diebus mihi retulit. Utut autem sit, sive extet vel umquam extiterit nefandum ejusmodi scriptum, sive minus, ad rem quod attinet ipsam, nec defuisse olim, nec hodie etiamnum deesse, qui Mosen, Prophetas, Apostolos, cetero sq; doctrinæ cœlestis propagatores & propugnatores, quin ipsum orbis Redemptorem, fraudum ac impostura rum blasphemo ore calamoq; detestabili postulaverint & postulent, nimis, proh dolor! verum est, certoq; certius. Et de infidelibus quidem res inprimis heic manifesta. Sed & intra ipsa Christianæ Ecclesiæ pomœria egisse, a quibus contumelias hujusmodi passi sint veræ Religionis statores ac sectatores, exemplo suo docere potest præ ceteris Fridericus II. Imperator; si verum quod refert Lipsius Monitor. Politic. libro I, cap. IV. & Ad. Contzen Politic. libro II, cap. XIV, dixisse eam sæpe: tres fuisse insignes Impostores, qui genus humanum seduxerint; Moysem, Christum, Mahumetem. Eodem spectant quæ habet Gibs. Voetius, disputatio-

ne de Atheismo, prope finem: Fuit quidam idiota Alcmarianus, nomine Nachtegaelius, qui anno 1614. aut 1615. (si bene memini) ob atheas blasphemias de Tribus Impostoribus Hagæ-Comitis effutitas ab ordinariis deputatis Ordd. Hollandiæ in exilium pulsus est. Quin & nostris illis adeo exulceratis temporibus, ubi per publicas calamitates omnia fatiscunt, ruinamq; minantur, id infelicitatis quasi in cumulum accedit, ut homines nescio qua nova sapientia turgidi, sub specioso ingeniosorum εὑρημάτων schemate, cœlitus donatam veritatem falsitatis, & a Deo patefactam doctrinam fraudis insimulare non dubitent. Quorum antesignani tres illi novæ sapientiæ conditores, EDOARDUS HERBERT, THOMAS HOBBES, BENEDICTUS SPINOSA, viri callidi, & technarum pleni. Qui dum singularem veritatis amorem in editis a se commentariis præferunt, id agunt unice, ut omni Religioni tollendæ viam parent, ipsumq; Christianismum evertant penitus, impostoras ubiq; crepantes & impostores, quando de Religione revelata ejusq; propagatoribus sermo est. Ceterum ut olim obtrectatoribus Ethnicis, impostoras Christianismo objicientibus, reponebat Origenes, libro VI. contra Celsum, ipsos impostores esse omnium maximos: ad eundem modum & nos in novos illos Philosophos hanc facem retorquemus, fraudumq; eos & impostorarum postulamus. Quod tamen ne temere facere videamur, age, scripta eorum paucis perlustremus, annon, ut diximus, res se habeat, paulo diligentius investigaturi.

Sectio I.

De EDOARDO HERBERT.

1.

QVod igitur ad opera attinet quæ Edoardus Baro Herbert, de Cherbury in Anglia, & Castri insulæ de Kerry in Hibernia & Par utriusque regni, Regibus item Jacobo & Carolo a sacris belli consiliis (tot enim titulorum stipatur satellitio) aliquot abhinc annis condidit; in publicum emissi sunt hactenus, liber ejus *de Veritate, prout distinguitur à Revelatione, à Verisimili, à Possibili, & à Falso*, liber *de Causis Errorum*, liber denique *de Religione Gentilium, errorumq; apud eos causis*, (nam cetera

cetera quæ hinc inde auctor promittit, num lucem hucusque conspexerint, mihi non constat) Quibus commentariis suis mirum est quam sibi plaudat elatissimi animi scriptor.

11. Videlicet libro de Veritate pag. 195. *Nos*, inquit, *cunctarum facultatum humanarum terminos & metas vel primi (quod scimus) posuimus.* pag. 203. *Methodum & concinnam dispositionem* specierum *nullibi gentium videre licuit. Harum artem igitur Zetetica nostra vocamus; quam, tanquam omnis doctrinæ clavem, publici juris facimus. Neq; enim aliter instructi, sive Philosophi, sive Theologi &c. sive veteres, sive recentes, ad rerum cognitionem accessere, vel quidem accedere possunt. Dum tamen nostram Veritatis investigandi methodum, scilicet (Ex qua facultate probas?) nescierunt, & adhuc nesciunt, movere dubia ut in promptu fuerit, eorum solutio per facultatem suam analogam hucusque latuit. Artem igitur ex quibus ista omnia enodari possunt, heic pandimus.* pag. 204. *Neq; vel difficilis videri debet doctrina nostra, vel molesta, quibus Veritas cara est: præsertim cum Zeteticorum nostrorum ope indoctissimus quicunq; integra volumina conficere possit, & quidem circa objectum quodcunq;.* pag. 256. 257. *Usus Quæstionum nostrarum est, ut earum ope homo quicunq;, sive doctus, sive indoctus, sive Græcus, sive Barbarus, ex puris naturalibus & experientia doctrinam certissimam conficere possit.* pag. 261. *Ex nostris nisi vera illa ars apodictica, (hucusque ignota) confecta sit, neq; confici posse contendam.* Similiter in Coronide operis de Causis Errorum pag. 14. ait: *Dubia quævis ad methodum in nostris Zeteticis capitibusq; sequentibus traditam reducas: atque ita, nisi omnipecude & bruto quocunq; (suo in genere) infelicius contigerit ingenium, evades.* Eodem pertinet, quod omnem movet lapidem Baro, ut in odium, invidiam & contemptum adducat communiter receptam doctrinam, eamque, cum sua collatam noviter reperta sapientia, ne titivilitio quidem æstimandam esse, incautioribus persuadeat; imperitiam, prævaricationem, nugas, inepti[illegible], cavillas, strophas, sophismata, & impostura[illegible], & nescio quæ non, passim scholis exprobrans.

III. Fallor autem? an sibi aliisq; imponit Herbertus, dum nova illa philosophandi methodo tantopere se effert, & adeo sua extollit εὑρήματα; Quæ si paulo inspectentur acrius, nonnisi personatas subtilitates esse, aut, si quid solidæ subsit sapientiæ, vix aliter quam vocum novitate a recepta scholarum doctrina discordare, dudum viris harum rerum peritissimis fuit animadversum. Jactat nempe accuratiorem, quam quæ hucusque sit tradita, Veritatis definitionem, ejusque neglectui omnes, qui in Theologiam pariter & Philosophiam hinc inde irrepserint, errores imputat. Sed dum aliis negligentiam & ignorantiam objicit, ipse, Veritatem cum veri cognitione cognoscendive modo confundens, pudendam suam ἀπαιδευσίαν manifesto prodit. Varias comminiscitur aliàs ignoratas Veritatis acceptiones; sed tales, ut, quidquid iis subest veri, sub aliis quam Veritatum nominibus perinde a scholis tradatur. Leges & conditiones, ex quibus facultates cum objectis conformantur, hucusque neglectas esse queritur. At quomodo neglectæ? cum utique justa diligentia a Doctoribus inculcentur, sed loco debito, ubi videlicet de Anima ejusque potentiis in scientia naturali agitur, non, ut ἀπαιδεύτως ab Herberto fit, ubi Veritatis tradenda definitio. Ridet communem scholarum de quinque sensibus sententiam. Quasi non, præter quinque sensus externos, aliquos etiam internos illæ agnoscerent: tametsi non, ut ipse, sensus & facultates ad numerum objectorum (nulla quippe id flagitante causa) multiplicent. Perstringit vetus Philosophorum effatum: *enunciationem quamcunq; vel veram esse vel falsam*; nec *Falsum* dumtaxat sed *Verisimile* ac *Possibile* etiam *Vero* opponi contendit. At ludit ambiguitate vocabuli, *Verum* accipiens πρᾶγμας, sive prout *Certo* æquipollet, & *Falsum* confundens cum *Impossibili*. Qua ratione omnem enunciationem esse veram vel falsam, nemo umquam Philosophorum asseruit. *Verisimile* & *Possibile* id ait esse, *quod cum neq; verum simpliciter, neq; falsum respectu nostri perhiberi possit, anci-*

pitem

pitem ſenſum inducit; hoc autem inter utrumque intercedere diſcriminis, quod illud ad *præterita*, iſtud ad *futura* ſpectet. In qua nova ſapientia itidem nihil ſani habetur. Vanum ſcilicet eſt, ad rationem Veriſimilis ſufficere, ut neque verum ſit neque falſum reſpectu noſtri; quum plus omnino ad id requiratur: vanum, quod Veriſimile ad præterita reſtringitur; ſiquidem & in iis quæ ſunt, aut erunt, veriſimilia aliqua reperiuntur, hoc eſt, quæ, cum non ſint certa, magis tamen videantur vera quam falſa: vanum denique, quod poſſibilia non niſi reſpectu futurorum dari aſſeritur. Tametſi enim omne quod futurum, poſſibile eſt, non tamen contra, omne quod poſſibile, futurum. Verbo; talem ſe præſtat in commentationibus ſuis Herbertus, ut vera eſſe agnoſcas facile, quæ, præfatus in librum de Veritate, monet: *Sciat lector, - nobis ad alia omnia fere, quam literarum ſtudia, (uti oportuit) exequenda otium fuiſſe. Partim armis in diverſis regionibus, partim quinquennali Legationi in Gallia, partim negotiis tum publicis tum privatis vacavimus. Neque erit igitur ut ita accuratum hoc in argumento expectes ſcrutinium.* Quæ tamen an ex animi ſcripſerit ſententia, dubitare nos faciunt illa pag. 88. ejudem opuſculi: *Subtilem expoſcimus diſcipulum, qui non ſolum origines & cauſas actionum, ſed & earum complicationem & tumultum diſcutere & ſigillatim exhibere valeat.* ac pag. 87. *Senſus tuos internos provocamus, lector, quos ſubtiles, acutos, accenſos expoſcimus, qui neque nugentur, neq; torpeant.* Certe enim qui adeo ſubtiles expoſcere diſcipulos audet, de ſua ipſius ſubtilitate & ἀκριβείᾳ perſuaſus ſit oportet; quum Doctor minus accuratus, ſubtiles nactus diſcipulos, ludibrium potius quam aſſenſum promittere ſibi debeat. Et quid? annon pag. 273. 274. *inſanos* & *ſumme irrationales* pronunciat, omni verecundia poſita, Herbertus, quotquot non ita, ut ille, Verum a veriſimili, poſſibili, & falſo diſtinguunt? Quaſi nimirum ipſe ſolus ſaperet in iſto argumento, certeri omnes & deſipuiſſent heic ſemper,

per, & hodieque desiperent. Quo tendunt etiam illa sub initium procœmii: *Quam ardua sit* Veritatem investigandi ratio, *vel ex eo conjicias, quòd nullo in publicum prodierit seculo qui argumentum istud ex professo tractaverit. Quid? quod inter rei literariæ candidatos neminem adhuc convenire potuerim, qui aptam Veritatis definitionem tradere in se reciperet?*

IV. At nolumus in principiis novæ Philosophiæ expendendis & discutiendis operosius nunc occupari; sed ad propositum accedentes propius, ipsius Theologiæ Herbertianæ intimiores recessus aliquanto accuratius speculabimur.

V. Ejus vero πρῶτον ψεῦδος in hoc est situm, quod quinque sequentibus capitibus seu articulis concludi existimat quidquid ad universum pertinet Religionis negotium; puta I. *Esse supremum aliquod Numen*; II. *Coli id debere*; III. *Virtutem pietatemq; esse præcipuas partes cultus divini*; IV. *Vitia & scelera quæcunq; expiari debere ex pœnitentia*; V. *Dari præmium & pœnam post hanc vitam.* Hi, inquam, illi sunt articuli, licet non iisdem ubique verbis, eodem tamen sensu in Herberti scriptis passim obvii (vide librum de Theologia Gentilium cap. I, XV, Coronidem opusculi de Causis Errorum pag. 31. ejusdemque Appendicem alteram num. II, præcipue autem librum de Veritate pag. 268. seqq.) quos *labore immenso, e legibus, religionibus, sapientiorum deniq; libris universis congessisse* se idem profitetur, lib. de Veritate pag. 79 95. & quibus, *non sine multiplici accuratag; Religionum tum dissectione tum inspectione* deprehensis tandem atq; inventis, *feliciorem Archimede quovis* se existimavit, ut loquitur lib. de Religione Gentilium cap. XVI, pag. 218. Quamquam alibi videri velit non soli labori suo ac industriæ, sed precibus insuper, gratiæque & auxilio divino, hanc tantam felicitatem acceptam ferre, libro scilicet de Veritate pag. 4. ubi occasionem novæ suæ Theologiæ ita proponit: *Nos (non diffitemur) diu torsere opinionum luctæ & contradictiones; dum modo*

modo hi, modo illi, se veros in doctrinis suis, reliquos falsarios, mendaces, impostores clamitant; eadem fronte ex adversa parte disputatum fuit; neque habui quo confugerem, proprias abnegare, alienas edoctus amplecti facultates; tandem etiam & despere jubeor: neq; aliquibus in doctrinis mitius agitur, si tergiversarer, quam ut damnationem utriusq; subirem æternam. Certe utcunq; terroribus istis, sive justis sive injustis, affecti, præsidium aliunde quam à Deo Opt. Max. non expectavimus. Ad hunc igitur conversi, ex vera fide, oratione, & totis, quæ Gratiam, sive Providentiam suam particularem provocant, facultatibus, auxilium ejus salutare impetravimus. Deinde etiam Auctores evolvimus, ut, quid fuerit ista Veritas, ex communi sententia, exploratum haberemus. Hunc interea librum veram Philosophiam, illum veram Theologiam, illum veræ Ecclesiæ doctrinam, illum verum salutis mysterium, in diversis Philosophis, religionibus, linguis, regionibus, seculis, comperimus.

VI. Quin, ut Dei ope fretum reconditam hucusque veritatem in apricum produxisse se, ita ad ejusdem gloriam & honorem omnem isthunc conatum suum tendere auctor asserit; *Hanc*, inquiens, *provinciam eò lubentius capessimus, quod in istis Dei Opt. Max. causam agamus, qui Notiones Communes, tanquam media providentiæ suæ divinæ universalis, nullo non seculo hominibus impertivit*, lib. de Veritate pag. 51. ubi paulo ante dixerat: *Insanos, & mente captos, & impotentes illos animos mittimus, cuicunq; sive Ecclesiæ, Scholæ, sive opinioni adhæreant. Neque heic igitur Hæresi pandimus viam, vel spiritui phanatico, nedum sensui particulari cujusvis Veritates in universum requisitas commodè vindicari posse asseveramus. Unicam Veritatis normam in necessariis facimus Consensum illum Universalem, qui sine providentia divina non instituitur.* Quibus respondent illa pag. 318. *Quo pacto* (si Herberti inhæreatur principiis) *non cunctis tantum Prævaricatoribus, sed ipsis etiam Obvaricatoribus* (*quorum ingens inter Religiosos Ordines passim numerus*) *tum præcludetur via, tum pervetustarum non secus atq; recentium Hæreseôn toto orbe grassantium*

tium elidetur vis, ista item sub finem præfationis : *Non erit (uti spero) unde hæc nostra vel Orthodoxis, vel quidem Heterodoxis displicuisse mereantur; cum non ad controversias excitandas, sed solvendas, vel saltem eliminandas, editus sit liber hic.* Eodem spectant quæ habentur in Coronide opusculi de Caus. Err. p. 14. *Quo pacto* (si insistatur principiis communibus) *non privata solummodo, sed publica servabitur pax, Paterq; communis invocabitur D. O. M.* item auctoris votum, sub finem Coronidis opusculo de Causis Errorum additæ : *Faxit Deus O. M. ut ad ampliandam ejus gloriam, pacemq; communem stabiliendam cedant quæ hic exaravimus!* Confer quoque pag. 29. & librum de Religione Gentilium cap. XV. pag. 217. Sed & referri omnino huc debet, quod ait, libro de Causis Errorum pag. 72. *nisi Notitiæ Communes in subsidium advocentur, de interna pace desperandum* esse ; *quum nullo alio criterio idoneo eximantur quæ circa fidem oriuntur dubia.* & quod scribit ejusdem opusculi pag. 13. *Nisi indefesso opere ad ubivis gentium controversa digredi satius duxerit Viator, ad Veritates Catholicas revertendum, indeq; ad tribunal divinum fidenter sistendum fuerit.* Quibus gemina quæ leguntur libro de Veritate pag. 266. *Neq; ex aliena, sed propria uniuscujusq; fide rationem factorum suorum exiget suprema die Judex: quapropter ex sapientia universali præcognita Religionis sancienda sunt, ut, quicquid deinde ex vero fidei dictamine adiectum fuerit, tanquam superliminare & fastigiatum aliquid substructione ista fulciatur.*

VII. Et quidni Dei causam agere, ejusque gloriam quærere se dicat Herbertus, qui doctrina sua ingruenti Atheismo ac ἀσεβείᾳ fores obstrui, &, ne omnis evertatur Religio, caveri, Coronide libri de Causis Err pag. 29. his verbis gloriatur : *Qui ex austeris tetricisq; quibusdam fidei articulis, Catholicis veritatibus* (quinque Herbertianis articulis) *admistis, ita afficiebantur plurimi, sive sagaciores, sive hebetiores laicorum animi, ut totam simul interverterent exuerentq; Religionem, hisce saltem Religionis partibus ubique*

que agnitis (quæ articulis illis quinque comprehenduntur) *deinceps ſtabunt.* Quo etiam ſpectat, quod, Appendice ultima ejusdem opuſculi num. VII, conſiderare jubet Doctores Chriſtianos, annon per ſuas, quas tueantur, ſententias, *magis ambiguam & obnoxiam, nedum magis lubricam reddant Religionem, adeo ut periculum ſubſit, ne tota intercidat Theologica eorum doctrina, atq; ſimul cum perplexis, adulterinis, vel ſpuriis, ipſæ ſinceræ, ſanæ, legitimæq; exuantur Religionis partes: quum*, inquit, *deliri quidam vel temerarii homines, delectu hìc non ſatis utentes, Deum nullum aut Religionem nullam credendi anſam inde arripiant.* & ſub finem num. I. *annon læſæ majeſtatis bonitatisq; divinæ, ipſiusq; Atheismi reus eſſet, qui providentiam univerſalem* (puta Herbertianam illam, qua per communes hominum mentibus inditas notitias eorundem, ſaluti Deus ſufficienter proſpexit) *deſtituerit vel exterminaverit.* Confer librum de Religione Gentilium cap. XV, pag. 211.

IIX. Quum proinde tam gratum ſit & amabile Pacis nomen; quum Concordiam, Eccleſiaſticam inprimis, nemo non deſideret anxie, & Controverſias, multoque magis Atheismum & irreligioſitatem, deteſtetur; quum pacem æternam, ſeu conſcientiæ tranquillatem, omnes pii merito affectent, &, quo pacto tribunali divino fidenter ſiſtere ſe poſſint, ſolicite enixeq; inquirant; quid mirum, ſpecioſo illo eliminandi omnis in Religionis negotio diſſidii enervandiq; Atheiſmi prætextu lectoribus fucum fieri? præſertim ſi ſub quæſitæ praxeos pietatis ſchemate res agatur. Quo tendunt illa Herberti Coronide libri de Cauſis Errorum. pag. 29. *Quum ab indubia iſta doctrina* (Herbertiana) *nullus ſubterfugii patet locus, omnes ſevero Dei ex Virtute cultui, pietati, vitæq; ſanctimoniæ, unanimiter ſtudebunt, odiaq; ſimul cum controverſiis circa Religionem deponentes, in mutuum convenient fidei ſymbolum.* & Appendice poſtrema ejusdem opuſculi, num. VII. *Annon meditationibus piis, ſermonibus ſanctis, & actionibus denig; probis,*

bis, in ſummi Dei honorem & proximi bonum factis, totum melius in-ſumitur tempus, impenditurq; ſtudium, (quum juſtum perpetuumq; humanæ vitæ exercitium in ſe contineant) quam in Controverſiis illis exagitandis, quæ cum à fide ſimplici ſive traditionibus per plurima ſecula traductis pendeant, ſua in origine ita ſint dubiæ, ut neque Controverſiarum illarum cauſæ principiaq; ſatis adſtrui, neq; conſectaria inde deducta ſatis affirmari, vel nodi ſcrupuliq; inde orti ex communi rectæ rationis criterio ſatis ſolvi eximiq; queant, adeo ut, niſi ex ſuppoſito hypotheticoq; prorſus modo quæſtiones & reſponſa, quæ circa ſubiectum controverſiarum illarum moveri vel adferri ſolent, in medium adducantur, vel controverſiæ ipſæ, (quod optandum eſſet) è ſcholis, ipſorumq; hominum animis, ejiciantur, de pace concordiaq; humani generis deſperandum ſit. Eodem faciunt præcepta ad Heredes & Nepotes, quæ anno clɔ lɔc xliii. in Bibliotheca Montgomer. poni curavit Herbertus:

Haud crucient animum quæ circa Religionem
Vexantur lites: ſi modo vita proba.

& paulo ante:

Ex virtute pia Numen venerare ſupremum;
Mitia nec deſint vota, precesq; bonæ:
Spes intenſa ſimul figatur, Amorq; perennis.
Haud alibi tandem gaudia fige tua.
Si maculis animam conſpurcant crimina fœda,
Commiſſi pudeat pœniteatq; mali.

item, poſt interjectas non paucas alias doctrinas morales:

Quaque die vitium, ſi quod tibi forte ſuperſit,
elue, te cupiens aſſimilare Deo.
Nam quum fœdatæ mentis conſortia ſpernat
Mens æterna Dei, dum manet ulla lues,
Ah, quis non pellat, cordis vel vellat ab imo
Conjungi ſummo quæ vetuere Deo?

Sic

Sic age, sic loquere, ut, postrema ubi venerit hora,
Sculpantur tumulo dicta vel acta tuo.

IX. Accedit, quod institutum suum princeps callide dissimulat novus ille Theologus, idque omni studio agit, ne malam causam prodat, neve, ad evertendum Christianismum & proscribendam omni ex parte Revelationem conatus suos tendere, lectori suboleat. Huc nimirum pertinet illa, solemnis ipsi, protestatio, Coron. libri de Causis Err. pag. 19. *Tantum aberit, ut ex Veritatibus Catholicis* (quinque ab Herberto assertis articulis) *aliquid veræ decedat Religioni, ut severa magisq; λογικὴ inde succrescat λατρεία. Neque tandem vel Fidei testimonia, vel Ritus Ceremoniæq; decentiores* (*uti sæpe diximus*) *elevantur, sed omnibus in Deum collatis, tum internus tum externus stabilitur cultus.* Cui adde quæ sub ipsum Coronidis hujus finem habet auctor: *Si quæ occurrunt dubitationes, eas ex scriptis nostris* (*ubi attente leguntur*) *solvendas relinquimus; nihil hìc interea contra Fidem aut Bonos Mores à nobis ultrò scriptum esse profitentes. Omnia tandem Ecclesiæ verè Catholicæ judicio submittimus.* Similiter Appendice posteriori ejusdem de Causis Errorum opusculi, num. VII. *Neque est*, ait, *ut propter quæsita hæc contumeliam mihi affingant Sacerdotes, cum omnes saniores Fidei articulos non sartos tectosq; tantum servari debere, sed & in hominum animos sub conditionibus suis induci, iterum atq; iterum profitear. Quî enim articulos nullam contradictionem implicantes respuerim, ubi sacrosancta Ecclesiarum authoritas eos comprobaverit?* Sed & libro de Veritate pag. 204. per suas hypotheses Fidem minime gentium labefactari affirmat. ac pag. 282. *Relationi*, inquit, *sua stet veritas: cui his nostris adeo nulla derogatur fides, ut quæcunq; præterea adjecerit, in lucro ponamus.* pag. 284. *Pìè plurima credi posse, nihil autem negari, nisi cum attributis divinis ex diametro pugnat, non semel monuimus. Neque est igitur quod nos calumnietur quispiam, qui media Providentiæ divinæ universalis exquirentes, in propatulum denique afferentes,*

suo nitori & luci restituimus. Hisce per me accedant ea quæcunque, unde Deus Opt. Max. bene audiat. Nos quidem ea omnia, quæ seculis prioribus de Bonitate & Misericordia divina decantantur, solenni fide & gratiarum actione accipimus, & non solum fieri potuisse, sed etiam facta fuisse, cum maxima hominum parte credimus. pag. 285. *Ubi veritates nostræ Catholicæ* (quinque Herbertiani articuli) *in adita animæ receptæ, ex indubia fide illic stabiliuntur, quod reliquum est, ex authoritate Ecclesiæ piè credi potest & debet.* pag. 55. *Totumne illud (inquies) quod à prioribus decantatum seculis, tanquam dubiæ fidei habebimus? Minimè gentium. Imò fieri posse credendum quodcunq; attributis divinis est analogum, & (quod magis est) cum gratiarum actione accipiendum.* pag. item 293. 294. *Lectori satis fuerit, ea omnia, quæ quovis seculo vel regione piè dicta vel facta ad miraculum usq; perpetua serie perhibentur, summa fide & gratiarum actione accipi posse & debere.* Speciatim de Codice Biblico ita differit magnifice, opusculo jam citato, pag. 298. *Stet inter libros summus, ille Scripturæ sacræ. Cujus ut varii fuerint auctores, quos miro nexu inter se composuit seculum istud posterius, quid tamen non θεόπνευστον toto contextu, quid non tanquam sanctum & a Deo profectum opus piè credi possit? Istum igitur Librum (ceteris sepositis) summa veneratione accipimus, neque ullibi solamen comparamus vel præsidium firmius.* & in Coronide opusculi de Causis Err. p. 9. *Europæus noster* Viator *præ ceteris conspicuas tum antiquitate tum authoritate eximia S. S.* (Scripturas Sacras) *Judæis, & inde Gentibus traditas inveniet. Quibus idcirco in omnibus, quæ olim gesta prædicantur, (ex Ecclesiæ authoritate) fidem consummatam adhibere potest.* pag. 30. 31. *Dicent forsan nostrates, me disertius de S. Scriptura loqui debere. Quibus respondeo: Neminem præclarius de illis sentire, ut qui optumas recte beateq; vivendi vel in æternum leges in S. S. tradi asseveraverim.*

x. Verumenimvero, quidquid etiam protestetur Herbertus, quidquid simulet & dissimulet, certe protestatio ejus facto est con-

contraria, tantumque abeſt, ut nova ipſius doctrina ingruenti (per Chriſtianæ religionis principia, ceu ille blaſphemat) Atheiſmo & impietati ponat obicem, ut velis potius remisque illam in mundum invehere laboret, adeoque veriſſime de eo uſurpari poſſit quod olim de Gentilibus ajebat Lactantius, lib. v, cap. IV: *Retorquent in homines juſtos convicia ſibi congruentia. Impios enim vocant ipſi ſcilicet pii.* & cap. x. *Quanta caligo, quanta tenebrarum & errorum nubes hominum pectora obduxit! qui, cum ſe maxime pios putant, tum maxime ſunt impii.*

XI. Cave tamen, dum Atheismi Herbertum poſtulamus, ita id accipias, quaſi ipſam DEI exiſtentiam per nova ejus ἑυρήματα negari dicamus. Hac enim ratione ἀθεότητα adeo non profitetur ille, ut etiam ullos dari tales Atheos, palam inficietur, libro de Veritate pag. 273. & opuſculi de Cauſis Err. appendice altera, ſub finem; utque articulorum eorum, quibus totam Naturaliſmi ſui molem ſuperſtruit, primum diſerte faciat hunc: *eſſe ſupremum aliquod Numen.* Ceterum, non eſſe Atheismi reos niſi illos dumtaxat qui ſummum aliquod Numen exiſtere negant, imperiti vulgi perſuaſio eſt, jam olim notata Theodorito, Therapeut. libro III, οὐ μόνοι γε, inquienti, ἄθεοι Διαγόρας ὁ Μιλήσιος, καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος, καὶ Εὐήμερος ὁ Τεγεάτης, καὶ οἱ τούτοις ἠκολουθηκότες, παντάπασι φάντες μὴ εἶναι θεοὺς, ὡς ὁ Πλούταρχος ἔφη, *Non ſoli Athei habendi ſunt Diagoras Mileſius, & Cyrenæus Theodorus, Evemerusq; Tegeates, & quicunq; hos conſectati ſunt, Deos eſſe penitus abnegantes, ut auctor eſt Plutarchus.* Latius quippe Atheorum patet appellatio, eosque etiam ambitu ſuo complectitur, qui Deum quidem eſſe non negant, ſecus interim quam fas eſt, & divinæ permittit revelationis ratio, de natura cultuque ſupremi Numinis ſentiunt. cujusmodi ſunt, v. g. qui Chriſtianæ religionis oſores ſe profitentur, eamque hoſtiliter infeſtant. Etenim πῶς οὐκ ἄθεοι παρὰ πᾶσι κριθεῖεν οἱ παρὰ τῆς θείας γραφῆς ἀσεβείας κατηγορούμενοι; *quomodo*

non

non Athei ab omnibus habeantur qui impietatis a divina Scriptura accusantur? ait, oratione contra Gentes, Athanasius. Quibus gemina habet Clemens Alexandrinus in Protreptico, provocans eo nomine ad testimonium Ephes. II, 12. ubi Apostolus Ethnicos, utique Dei existentiam haud negantes, vocat Atheos, quod essent χωρὶς χριστοῦ, *sine CHRISTO.* Quomodo & S. Johannes, posteriori Epistola comm. 9. πᾶς, inquit, ὁ προάγων, καὶ μὴ μένων ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ χριστοῦ, θεὸν οὐκ ἔχει, *Quisquis transgreditur, nec permanet in doctrina CHRISTI, Deum non habet.* Adde locum I. Thessal. IV, 5. Atque hinc nihil usitatius esse videas apud priscæ Ecclesiæ Doctores, nihil frequentius, quam quod Christiani nominis adversarios & calumniatores Atheos appellent, iisque impietatis crimen impingant. Testimonia damus in Commentario ad Justinum Martyrem pag. 61. Heic solum notetur, quod Arnobius, libro V, asserere non dubitet, esse Paganos Atheis illis, qui Deum esse omnino negent, etiam deteriores. Verba ejus, Ethnicos alloquentis: *Jamdudum me fateor - solitum esse mirari, audere vos dicere quemquam ex his Atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui Deos esse omnino aut negent, aut dubitent: - cum, si verum fiat atq; habeatur examen, nullos quam vos magis hujusmodi par sit appellationibus nuncupari.*

XII. Tendere autem eo universam Herbertianæ Theologiæ structuram, ut, stante illa, domus Dei ædificium destruatur penitus, & ab imis fundamentis Ecclesia Christi concutiatur, inde patet initio, quod conceptis verbis auctor, libro de Veritate pag. 51. *UNICAM*, inquit, *Veritatis normam in necessariis facimus Consensum istum Universalem*: de quo scilicet in superioribus egerat, & ad quem in Religionis, imo quocumque Veritatis negotio, tamquam ad sacram anchoram confugiendum, aculeato hoc & fidei Christianæ Doctores fodicante sermone pag. 49. suaserat: *Cum mortalibus in summo isto verborum discrimine non jam*

è cathe-

è cathedra rationibus suadeatur, sed (ipsa etiam reluctante conscientia & sensu interno) terroribus quibusdam ita extorqueatur fides, ut omnes extra Ecclesiam suam, sive ignorantia, sive erroris, ita rei sint facti, ut (nulla vel mora, vel quidem comperendinatione indulta) damnationem post hanc vitam subeant æternam; non est quò fugiat misera consternatorum turba, nisi immota quædam veritatis fundamenta ex Consensu Universali jaciantur, quæ in dubio quocunq; sive Theologico, sive Philosophico, consuli possint. Quod si enim in necessariis consensus universalis unica est Veritatis norma, adeoque tamquam vera, etiam in religionis negotio, non nisi illa debent admitti in quibus totus mundus conspirat, quid fiet; obsecro, de præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus? annon ex eorum, quæ vera sunt, ordine illa sic exterminabuntur penitus, ut de quibus non habetur consensus universalis? Verum proinde non erit in nova Baronis nostri Theologia, Christum esse Deum, esse natum ex Virgine, rediisse ex sepulchro, ascendisse in cœlos, esse orbis Redemptorem: verum non erit, mundum hunc aliquando interiturum, mortuos resurrecturos, fore supremum judicium: vera non erunt tot alia fidei nostræ mysteria, tot sacræ historiæ, quæ partim ab infidelibus junctim omnibus, partim ab hac vel illa profanorum secta negantur pertinaciter, scurriliterque irridentur.

XIII. Ejusdem porro rationis est axioma illud, *magnum* Herberto dictum, loco cit. pag. 47. *Quod neque per instinctum naturalem, sensum internum, sensum externum, neque discursum innotescit, tanquam Verum propriè dictum nullo pacto probari potest.* Nam & hoc admisso, proprie vera non erunt primaria Christianismi dogmata, ut quæ ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ καταλήψιν κτιστῆς φύσεως posita, (ceu Justinus M. vel quisquis alias auctor Expositionis Fidei, loquitur) nec instinctus naturalis, nec ullus sive exter-

nus sive internus sensus, nec acutissimi etiam intellectus humani discursus valet assequi.

XIV. Dicet equidem noster Artifex: etiamsi ut vera amplecti talia nequaquam liceat, non tamen ideo tamquam plane falsa rejici ea statim debere & omnino negari: quum referri possint ad classem Verisimilium. Huc enim tendunt quæ passim disputat, præsertim libro de Veritate pag. 296. 297. de Causis Errorum pag. 64. 70. 71. & in Coronide ejusdem opusculi pag. 7. Sed quid auctori est, obsecro, *Verisimile*? Annon id quod *ancipitem sensum inducit*? Ita sane describit in Elencho Verborum libro de Veritate præfixo. annon, quod *dubia & incomperta quævis denotat*? Hoc clare asserit ipso illo Commentario pag. 307. annon, quod *magnam falsi misturam obtinere potest*, adeoque nonnisi *imperfecta* quædam *veritas* est? Sic ait ibidem pag. 319. annon denique ita late ipsi patent Verisimilia, ut, quæ *necdum satis in seipsis constant*, & *ad falsum quàm proximè accedunt*, quæq; *ex principiis incertis concinnata, dogmata item non satis inter se cohærentia*, suo complectantur ambitu? ibidem pag. 302. 303. 307. Quo proinde loco si habenda, quæ Christianismo propria est, doctrina, mortalium infeliciſſimi sunt & stolidissimi quotquot in ea proram puppimque salutis suæ collocant. Etenim dubia sic erunt & incerta omnia, quæ, præter quinque Herbertianos articulos, CHRISTI profitetur Ecclesia. Quod etiam tantum abest ut neget aut dissimulet novus ille Apostolus, ut diserte scribat, libro de Veritate pag. 283. 284. *Sola Catholica, sola μονοειδὴς Ecclesia est Notitiarum communium doctrina* (ecce ἀκρίβειαν tanti Philosophi, Ecclesiam per Doctrinam describentis!) *omne spatium, omnem numerum complectens. Hæc sola enim Providentiam Divinam Universalem, sive Naturæ sapientiam, pandit: hæc sola rationem, unde Pater communis invocatur Deus Opt. Max. exponit: extra hanc denique nulla salus. Quæ igitur particulari unicuique Ecclesiæ attexuntur encomia, huic conveniunt.*

unt. A qua quæ maximè recesserit, maximè errori obnoxiam esse suprà docuimus. Recedit autem, quæcunq; à certis Providentiæ Divinæ universalis veritatibus ad INCERTA animum pelliciens, nova fidei dogmata cudit. Nova scilicet illa fidei dogmata, quibus ad incerta animum pellici ait, cum notitiis communibus, sive principiis natura notis, heic opponantur, non possunt non summa omnemque naturalem notitiam excedentia Christianismi mysteria ambitu suo complecti. Adde locum ex Coronide opusculi de Causis Err. pag. 14. ubi ait: *Sive antiquitatem Ecclesiæ alicujus ostentanti, sive novitatem exprobranti, respondendum; neq; doctrinam veritatum Catholicarum ullibi novam, vel ritus ab omni ævo veteres fuisse; quin, ut plura prædicarentur, auditorem illis* (Veritatibus Catholicis) *SOLUMMODO stare potuisse quæ TUTO crederet, quæ sano modo intelligeret.*

xv. Amplius, unica Christianæ Theologiæ basis est divina Revelatio. Ideo videlicet immoto omnemque deceptionis formidinem excludente assensu ut vera amplectimur Christianismi dogmata, quod a Deo supernaturali ratione patefacta ea novimus. Hoc autem fidei nostræ fundamentum ut subvertat Herbertus, nulli profecto labori parcit. Tametsi enim, Revelationem absolute a se negari, passim protestetur, ejus tamen certitudinẽ ultra illum, cui immediate aliquid manifestatur divinitus, nequaquam porrigi, iterũ iterumque inculcat. Sic libro de Veritate, pag. 288. 289. conditionum, sub quibus fides Revelationi possit haberi, secundam facit hanc: *ut tibi ipsi patefiat. Quod enim*, ait, *tanquam revelatum ab aliis accipitur, non jam Revelatio, sed Traditio, sive Historia habenda est. Cum autem historiæ sive traditionis veritas à narrante pendeat, fundamentum relationis extra nos possidet, & proinde tota respectu nostri est verisimilis.* ac pag. 296. *Historia*, inquit, *UNIVERSA* (adeoque Biblica etiam) *universum illud demum quod demandatur olim de rebus, sive verè, sive falsè, sive piè, sive impiè ge-*

 stis,

stis, respectu nostri est Verisimile: à narrantis enim authoritate pendet. pag. 297. *Fides* OMNIS *(tametsi per plurima secula traducatur (in scientiam sive cognitionem Authoris, à quo historiæ fides manavit, ultimo transferenda est; adeò ut heic quoque Scientia Fidem præcedat & stabiliat. Cum tamen quod isto pacto creditur, nullo proprio facultatum indicio constet, quod in narrante Verum, in accipiente erit solummodo Verisimile. Ex quibus patet, nullam alienæ Veritatis esse normam; sed quod verum in Authore sonare videtur, re ipsa falsum; quemadmodum absonum quodvis (Contradictiones & ἀσύστατα si tollas) verum esse posse; & proinde tanquam extra analogiam suam constituta, ad te necessariò non spectare. Neque enim Veritates tuæ fuerint, sed Verisimilia.* pag. 303. *Plurima inter authores jactata comperiet* lector, *quæ haud videas quomodo vel illis constiterint unquam, aut ulli hominum (saltem ex recta communiq; ratione) satis constare possint; sed ea præsertim quæ captum humanum ita superant, ut haud ulli nisi ex revelatione divina sibi immediate facta, probari (sed & illi soli) queant.* Eodem tendit quod tradit pag. 306. *objecta, quæ non omnibus, sed aliquibus tantùm patuere olim, vel nunc patent, enunciationes, veras ab iis solis statui posse, qui res illas, sive objecta (uti in se ipsis extitere vel extant) ex examine debito probè intellexerunt. An tamen,* ait, *examine illo usu sint, haud aliis in comperto est: adeò ut quæ ex aliorum authorite simpliciter pendent enunciationes, plus minusve dubiæ vel verisimiles existimandæ sint.* ac paulo post: *Hypotheticæ & prorsus infirmæ (respectu nostri) basi innititur antiqua* OMNIS *historia. - ut, quam incauta igitur intutaq; sint eximiæ alicujus Fidei* (Christianæ) *fundamenta, quæ ex Historiis tantum substitui solent, ex hisce facilè colligat lector.* Adde pag. 293. ubi articulorum fidei eam esse conditionem ait, *ut, nisi à Revelatione aliqua, quæ nobis ipsis constiterit, suam auctoritatem accipiant, tanquam aliorum placita in examen perduci possint.* Sed & amplius huc spectant, quæ libro de Causis Errorum, ubi de Religionis negotio, ut totus contextus docet, potissi-

tissimum agit, passim tradit auctor. ut quando, inter cetera, scribit, pag. 57. *Quod de Revelato & extatico pervulgari solet sensu, nisi indubiam fidem ab ipso revelante supernaturali accipiat, eliminandum censeo* (puta, ex eorum ordine de quibus verus conceptus habetur) *quum innumeræ aliter consequi possint hallucinationes & impostura.* pag. 67. *Quum scire sit, per causas scire, temeraria fuerit illa ratio, quæ de objectis sibi ipsi haud satis exploratis, nullog. INDICIO PROPRIO cognitis, aliquid certi decreverit: tum subleſta ancepsq. fuerit illa fides, quæ tota ab humana autoritate ducitur; adeò ut quæ sive præteritis sive futuris eventibus tribuitur eo nomine fides, haut ita firma fuerit, ut aliquid indubii inde statui possit. Conditiones enim quum nobis defuerint unde aliorum assereretur veritas, hærere necessum est.* & pag. 69. *Patet, quæ citra conditiones intermedias ad Veritatum conformationem postulatas exhiberi solent, vel quæ ab sola authoritate humana pendent, meritò ambigi posse; præsertim cum ardua quovis seculo fuerit Veritatis investigatio, tum in errorem proclivis via, eog. magis, quod, an probè sciverint, an vero ab aliis serie bene longa acceperint authores quæ posteritati consignaveraut, in certo sit, Multum enim hîc interest. Fides enim ut apud omnes sit, penes illos solos stabit Veritas, qui res, uti gestæ fuerunt, ex aliqua facultate probè conformata noverint; adeò ut penes illos, sive veritas sive falsitas steterit, penes te solummodo fides.* Sed & Coronide ejusdem opusculi, pag. 6. 7. sequentia hanc in rem leguntur: *Concedamus, ea omnia, quæ à magni nominis Authoribus proferuntur, (quantumvis mira, prodigiosa, & tantum non ἀδύνατα) vera fuisse, haud tamen tuæ Veritates fuerint, sed eorum, quibus ista ex facultatibus probè confirmatis nosse contigit. Neque igitur, ut vera in se ipsis sint, (quod solus tamen novit Deus) tibi haud aliter quam ex authoris fide liquebunt. Et proinde Verisimilia tantùm fuerint; quum de objectis extra facultatum tuarum* (sphæram) *sitis judicare nequeas.* Quin palam ibi fatetur auctor, pag. 32 quod, solis exceptis aliquoties ante memoratis quinque articulis, *non ullo satis nisi Re-*

velationum nobis ipsis immediatè factarum testimonio probari possint. Id quod repetit Appendice postrema illius libri; sub cujus initium universis, quos provocat, Sacerdotibus considerandum proponit: *annon ex Divinæ universalis Providentiæ principiis* (quinque supra, num. v, exhibitis articulis) *inceptanda stabiliendaq; potiùs sit orthodoxa Religio, quàm ex eis Fidei thesibus, quæ a Revelationibus quibusdam particularibus in aliqua orbis regione particulari* (*ceu olim factis*) *deductæ, arcana Dei consilia ita posteris vel in omne ævum patefacta esse supponunt.* & paulo post ait: *Neque Veritatum Catholicarum seriem Revelationibus suis particularibus intervertere conentur Sacerdotes; sed id potius disquirant, an ex Revelatione quavis particulari fidei dogma aliquod tutò statui possit, quod non etiam citra illam facilè amplectatur prudens laicus.* Denique sub finem illius paræneseos, quod *ab articulis Catholicis* (istis quinque) *rectius tutiusq; quàm à Revelationibus vel Prophetiis quibuscunque, non inchoanda tantùm, sed ubiq; etiam propaganda sit orthodoxa religio*, diserte asseverat.

XVI. Vult ergo portentosus disputator, neminem, nisi cui ipsi immediate divina revelatio obtigit, de revelatorum veritate posse esse certum; eoque ipso mihi, tibi, imo in universum omnibus, qui Prophetæ aut Apostoli non sunt vel fuerunt, assensum rerum creditarum immotum indubitatumque prorsus negat, & a nuda auctoritate humana fidem nostram suspendi cavillatur. Quumque homines Christiani, de doctrinæ suæ cœlitus patefacta veritate interno Spiritus sancti testimonio se convinci profitentur, (quo de vide disquisitionem nostram anti Baronianam VII, 50.) ridet Herbertus *gratiam* isthanc *in corde operantem, solamenq; internum*, quod *superstitiosi semetipsos sentire passim prædicent*, libro de Causis Err. pag. 72. & in opusculi ejus Coronide pag. 24. de eodem illo argumento, *Factumne*, inquit, *satis arbitrabitur* Viator, *si ex eorum Spiritu dictante summum* (*ne dicam unicum*) *probationis specimen attulerint* Doctores Christiani?

Equi-

Equidem si ex istis, aut istiusmodi documentis, aliqua constabiliri possit Religio, quænam non Orthodoxa aget? Tunc autem ad veram Religionem asserendum haud aliis usus fueris argumentis, quàm quæ in falsa imponent. Quicquid igitur occlamitent Doctores celeberrimi, vel Rationi duci obtemperandum, vel inexplicabilibus oberrandum Labyrinthis. Ita videlicet, secundum novi hujus Theologi sententiam, non firmiori nititur tibicine religio Christiana, quam qua quævis alia etiam absurdissima fulcire se possit superstitio. Confer dictam Coronidem pag. 12. & librum de Veritate pag 266. Commentarium item de Religione Gentilium cap. vx. pag. 216. uti & alia quæ pro fide nostra solent urgeri fundamenta diruere conatur.

XVII. Sed nondum ita finis impietatum, quibus Christianismum impetit Herbertus, ejusque fundamenta arietare satagit. Videtur equidem prima fronte non omnem Revelationis certitudinem negare, sed eorum dumtaxat intuitu, quibus non est immediate doctrina aliqua divinitus manifestata. Ceterum si paulo attentius asserta ejus consideres, ne quidem ipsos Prophetas & Apostolos suis revelationibus citra deceptionis periculum fidere potuisse, omnino statuit. Eo nempe spectat quod absolute ait, libro de Veritate pag. 288. *Cùm Revelationes falsæ esse possint, ultra facultates ipsis in Revelationibus sapere, vix tutum arbitramur.* Etenim si ultra facultates in Revelationibus sapere vix tutum; hoc est, si ex rebus revelatis nihil ut indubitato verum amplecti licet nisi quod sensuum pariter intellectusve testimonio comprobatur, utique Revelationis in se spectatæ nulla erit certitudo, ne quidem respectu eorum quibus immediate obtingit. Et quamquam certas mox conditiones auctor affert, quibus positis fides Revelationi haberi possit (quarum secunda est, *ut tibi ipsi pateſiat*; quarta, *ut afflatum divini Numinis sentias*) quam parum tamen iis tribuat, monstrant quæ e vestigio subjicit: *Magnopere interea cavendum, ne imponatur: quod atrabiliariis, superstitiosis, & causas rerum ignorantibus, ubiq; contingit.*

git. Quibus adde locum, ex Coronide libri de Cauſis Err. pag. 7. jam ſupra, num. XV. recitatum, ubi diſerte Baro aſſerit, an ea omnia, quæ a magni nominis auctoribus produntur, vera in ſe ipſis ſint, SOLUM DEUM (adeoque nec ipſos auctores) noviſſe. Nam de ſcriptoribus, quos pro Ἑτοπνεύστοις Chriſtiani habent, ſermonem ei eſſe, certe hos ibi non excludere, contextus manifeſto docet.

XIIX. Hæc igitur de Revelatione generatim quum Herberti ſit ſententia, haud mirum, de Scriptura ſacra, unico illo divinarum Revelationum hodie promptuatio, tam perverſe & profane ipſum ſtatuere, ut Appendice poſtrema libri de Cauſis Errorum, num. IV. univerſos (quos provocat) per orbem Sacerdotes circa hoc quæſitum ſententiam ſuam jubeat exponere: *an non ea, quæ ex authoritate SS. Codicum (ut vocantur) quovis ſeculo vel regione receptorum*, ſæpius memoratis quinque Articulis *addi ſolebant, vel ſolent, ſint ſua in origine SUSPECTA, involuta, & controverſa, quin & à cœtibus illis, quibus aliæ placuere fides, toto genere rejecta, uti quæ nulla demonſtratione neceſſaria fulciantur?* Tametſi enim, ait, *indubium ſit axioma, Deum ſummum veraciſſimum eſſe, quin neq; fallere neq; falli poſſe, qui tamen mutuo probabunt diverſi in diverſis mundi partibus ſive Legislatores ſive Sacerdotes, 1. Deum ſummum proprio ore (vel juxta aliquos) Angeli aut inferioris alicujus Numinis ore locutum fuiſſe, 2. vel ſermonem illum in memoria eorum ſervatum, aliùsq; ſubinde fideliter recitatum fuiſſe, 3. vel Exemplaria vera ſermonis illius poſteris conſignata fuiſſe, adeò ut nihil ex Amanuenſium vitio vel incuria ſequentibus ſeculis ſuperadditum, demptum, vel immutatum eſſet. 4. Sermonem illum particularem particulari Legislatori vel Sacerdoti factum, non tantùm ad omnes alios Legislatores Sacerdotes neceſſariò ſpectare, ſed & ipſos Laicos ita ubiq; obſtringere, ut ad novas & ante id temporis incognitas leges, vel nova fidei dogmata acceptanda, inde impelli poſſint; præſertim ubi à rectæ rationis principiis deſciſcere*

vel

vel decedere eam ob causam cogerentur. Quæ totidem pene verbis leguntur etiam in opere de Religione Gentilium, sub finem capitis xv. Similiter coronide jamjam expressi de Causis Errorum opusculi p. 5. scribit auctor: *Ne in deditiam illam Fidem* (Christianã) *nimis propensus sit Viator, haud omnia promiscuè amplectenda quæ in Historicis reperiat,* (de Historicis Biblicis loquii ipsum, certe de his non minus quam de aliis, e toto Coronidis argumento & contextu manifestum) *quum nonnulla intersint passim, quæ multiplicem distinctionem & recognitionem postulent; tum ea maximè, quæ ita insolentia, communiq; rerum naturæ repugnantia, ut non nisi præceps circa illa judicium ferri possit. Unde non leves etiam in gravissimis authoribus occurrunt dubitationes. Multum enim refert, an quæ narrant, ipsi viderint, an ab aliis acceperint, atq; ita nexu perpetuo, & in alios (per quædam fortasse secula) traducto. - Sed & hoc quoque advertendum, an ea narraverint, quæ neq; ipsi, neq; ullus mortalium scire potuerunt. Cujusmodi non pauca in mirandis quibusdam historiis deprehendas.*

XIX. Quænam vero illa? dices forte. Id te docebunt quæ leguntur libro de Veritate pag. 298. ubi ait: *Itane (inquies) Historiarum fidem convellis, infirmas; quasi parum feciſſe videantur qui HISTORIAM CREATIONIS, REDEMTIONIS MUNDI, &c. tradiderunt? Immo maximè. Sed Deum, à quo, per quem, in quo, ad quem omnia, non tanquam historiam, sed notitiarum communium doctrinam, accipio; de modo, tempore, &c. PENES AUCTORES UT SIT FIDES.* Quibus, nonnullis interjectis, subjungit ista paulo ante recitatis plane gemina: *Si quid tamen in sacrum quemvis, vel prophanum librum, ex incuria sive quidem cura temporum olim irrepsisse compertum fuerit, unde Deus Opt. Max. malè audiret, & attributa divina ex consensu universali agnita convellerentur; si non emendandum Codicem, (quod novum non est) saltem Interpretes incusandos, qui à mente authorum, & ipsa demum analogia fidei discedentes, opiniones invexerunt Notitiis Communibus repugnantes, quidni arbitremur?* Junge quæ habentur

tur Appendice ultima libri de Causis Errorum num. VII. *Non totum aliquem librum, sed nec textum ejus, vel versiculum aliquem, tanquam authenticum indubiumq; acceperint Sacerdotes, donec, singulæ ibidem loci propositiones juxta prædicata & copulas ad debitum facultatum humanarum examen perducantur, ex earumq; testimonio ceu veræ comprobentur, vel ceu verisimiles aut possibiles tantùm accipiantur, vel ceu FALSÆ tandem prorsus eliminentur.* Ubi vides, quod *falsa* in sacro Codice reperiantur (de hoc enim ibi sermonem esse, e contextu liquet) apertis verbis Herbertum docere.

XX. Sed ad Coronidem redeamus supra laudatam; ubi ulterius auctor, pag. 10. 11. *Operæ*, inquit, *pretium fuerit disquirere, quid tandem in Sacris Scripturis sincerum incontroversumque Dei verbum audiat. Neque enim æquali authoritate præditum quicquid in S.S. continetur, dixerit vel ineptissimus Sacerdos. Quid igitur in S. Bibliis tanquam ipsissimum Dei Verbum, quid porrò ad salutem maximè necessarium, disquirendum manet. Quo loco (uti supra monuimus) occurrent primò certæ Veritates nostræ Catholicæ; quæ, tanquam indubia Dei effata, & in foro interiori descripta, secernendæ, reponendæ fuerint, ut, quid deinde superst, exploratum habeatur.*

XXI. Nimirum id agit ubiq; in scriptis suis Herbertus, ut *Notitias Communes*, quas vocat, normam Veritatis infallibilem, eamque unicam, constituat. De quibus, opusculo de Veritate pag. 72. *Ne*, inquit, *quæ in immensis illis Authorum voluminibus, opiniones te molestum habeant, Communes Notitias, vel Consensum universalem* (si duo hæc pro iisdem habet auctor, aberrat a janua, quum plurimum ea differre res ipsa loquatur. Sed id transeat nunc) *ex illis exantlare consulimus. Quas deniq; si in suum composueris ordinem* (*unde in reliquorum judicium venias*) *authoritate eximia donaberis, & nullo non ex libro instructior prosilies; ipsam deniq; conscientiam testimonium perhibentem habebis.* & pag. 265. *Quædam excindi* ex Revelationi innixa religione *possunt, quædam debent. Cui*

usui

*usui Notitiarum Communium doctrina adeò inservit, ut citra earum ope*m *nullus commodè institui possit Revelationis, vel ipsius quidem Religionis, delectus.* pag. 266. *Nisi ex Notitiis Communibus veritati sternatur via, & sua unicuiq; articulo tribuatur dignatio, quidni vel ineptissima quævis obtinuerit sententia? Certè utcunq; nugentur qui ambiguis Lesbiisq; credulitatis regulis doctrinas suas stabilire conantur, perinde faciunt ac illi, qui, ut oculos viatoris minori molestiâ eruerent, semet ipsos duces in stadio (quod conficere oportet) mira benignitate pollicentur.* Similiter Coronide libri de Causis Errorum pag. 12. 13. totus in eo est auctor, ut lectori persvadeat, nisi ad Notitias Communes confugiatur, inq; iis pesfigatur tandem, frustra inquisitionem omnem in negotio Religionis instituì, deque veræ doctrinæ certitudine prorsus desperandum esse. Verba ejus inter cetera: *Si gestorum utriuq; fideiq; postulatur ratio, qui testes tandem, quis controversiarum constituetur Judex? Anne omnes compellandi? Sed Proh! quantum inde sulcabitur pelagus? Nonne quævis lingua ediscenda, & totus peragrandus est orbis? nonne scriptores omnes evolvendi, & cathedra scriniumq; omne perscrutandum? nonne seculum omne lustrandum, fidesq; quævis expendenda? nonne expositiones omnes comparandæ, contradictionesq; reconciliandæ? Cui tandem ad ista perficienda ingenium, otium, divitiæ, vita, suppeterent? præsertim quum immensum opus aggredienti præter animum deficerent omnia: plurimis interea in provincia propria, nedum patria communi, incompertis. Quapropter nisi indefesso opere ad ubivis gentium controversa digredi satius duxerit viator, ad Veritates Catholicas revertendum, indeq; ad tribunal divinum fidenter sistendum fuerit, donec terrores abjecerit, gratiamq; Dei salutarem impetraverit.*

XXII. Huic igitur innixus fundamento, etiam in Scripturæ sacræ scrutinio Notitias suas Communes seperare jubet ab iis quæ ex Revelatione accesserunt: utque illas tamquam indubitato certas amplecti oportere affirmat, sic ista *eo fine* ait *esse tradita,*

loco numero ſuperiori expreſſo, ut *Veritates, quas Catholicas vocamus, magis inde illuſtrentur, ſignentur, ſanciantur*: quæ tamen aliter admitti non debeant niſi *ea lege, ut attentè & haud ultra facultates ſapias*, ceu loquitur pag. 14. id eſt, ne aſſenſum rei præbeas tamquam omnino certæ, cujus veritatem ſenſus tui aut intellectus vi naturalis luminis non aſſequantur. Atque huc tendit, quod, Appendice ultima libelli de Cauſis Err. num. VII, tam ſolicite cavet auctor, ne, quæ præter quinque toties memoratos articulos credenda proponit Scriptura, ipſi illi articulorum catenæ intexantur, aut pro ejusdem conditionis partibus, ratione ſcilicet certitudinis, cum communibus iſtis notitiis habeantur. Ipſa verba dabimus. *Luculentiores*, inquit, *fidei theſes Articulis noſtris Catholicis ad auctari vel ὑπμέτρῳ modum* (libro de Veritate pag. 266. *ſuperliminare* & *faſtigiatum* vocat) *addi, addjici, vel alicubi* (*ubi opus eſt*) *aſſui potiùs optaverim, quàm indi, inſeri, aut intexi: ne Verum à Veriſimili, à Poſſibili, & à Falſo, incautus haud ſatis diſtinguat laicus. Quod etiam in cujusvis S. Codicis explicatione animadverſum vellem.* & poſt pauca: *A Sacerdotibus rogatum vellem, ut perpendant, annon complurima, quæ hiſce* (quinque articulis) *ex mera Fide adtexi ſolent doctrinæ, magis ambiguam & obnoxiam, nedum magis lubricam reddant Religionem.* Quibus plane gemina quæ habentur Appendice ultima libri de Cauſis Errorum, jam ſupra, num. XIIX. producta; ubi Sacerdotes dicere jubet auctor, *annon ea, quæ ex authoritate SS. Codicum, quovis ſeculo vel regione receptorum* notitiis communibus *addi ſolebant, vel ſolent, ſint ſua in origine SUSPECTA, involuta, & controverſa.* Ubi obſerves, dum *SS. Codicum quovis ſeculo vel regione receptorum*, uti paulo ante, *cujusvis S. Codicis*, & Coronide dicti de Cauſis Errrorum opuſculi pag. 9. *Codicis ſacri, quocunq; nomine inſigniatur*, libro item de Veritate pag. 266. *ambiguarum Lesbiarum que credulitatis regularum* meminit, eodem habere loco Herbertum Scripturam noſtram,

noſtram, quo Judæorum Talmud; Muhammedanorum Alcoranum, ſimilesque aliarum Religionum, ſive Superſtitionum potius, Codices: uti quoque *Prophetis Sibyllas* ad latus ſociat Appendice poſt. dicti opuſculi num v. Junge ſuperioribus quæ leguntur libro de Veritate pag. 183. *Non negamus, & ſacras dari poſſe Ceremonias* (Ceremoniarum nomine ipſa etiam Eccleſiæ Sacramenta, ſi non & alia plura, comprehendit. Sane in Coronide opuſculi de Cauſis Err. pag. 14. *Rituum* appellatione generaliter complectitur quæcumque præter Veritates Catholicas, ſive notitias communes, in religione aliqua traduntur) *imò aliquas in omni religione Ceremonias ad ornatum commodiſſimè inſertas advertimus: harum igitur quidam eſt uſus. Dum tamen ab Antiſtitibus tanquam Religionis eſſentiales partes ſtatuuntur, & Religioni & nobis ipſis imponitur. Stent igitur intra cancellos ſuos. Eâ lege demum adhibeantur, ut ſemper in animo infigatur, Religionem caſtam qualia matronam decere redimicula, ea ſcilicet quibus magis auguſta, ſpectabilis & reverenda prodeat, pigmentatas deniq; & fucatas artem ἐξαίρετον & quæſtuariam nimis redolere.* & pag. 286. ſeq. *Quidni, juxta communis ſaltem rationis normam, de rotunda Dei religione* (*uti alibi diximus*) *ac de Circulo exiſtimari poſſit, ut, qui aliquid addiderit vel dempſerit, ejus formam vitiaverit, integritatemq; corruperit?* item iſtæ, ex libro de Religione Gentilium cap. xv, pag. 211. *Novi ſatis quidem ex traditionibus, & fide quadam laxa, plurima in favorem humani generis, proſeculi vel regionis diverſitate,* (*tanquam cœlitus demandata*) *olim oſtenſa fuiſſe; ſed quæ neq; ſatis inter ſe cohærerent, vel ullius valoris eſſent, niſi quinque hi Articuli familiam ducerent, ac præſtituerentur. Ut miſeratione igitur dignum ſit, eas larvas indutas, fucos illitos, ſcrutaq; aſſuta fuiſſe, quæ caſtiſſimam Religionem dedecerent deboneſtarentq;: quum ejus vultus reverendus, color nativus, veſtisq; inconſutilis, ſimplex auguſtaq; Matronâ digna eſſe debeat.*

xxiii. Atque ita patet, quomodo nulli labori parcat Naturaliſta,

lista, ut dubium esse evincat & incertum (si non omnino falsum) quidquid præter notitias communes Christiani credunt, ipseque sacer Codex credendum iis proponit. Qua quidem in re cum priscis Ecclesiæ CHRISTI calumniatoribus Ethnicis eamdem inflat tibiam. Nam & hos incertitudinem vanitatemque doctrinæ Christianæ majoribus nostris exprobrasse, eandemque *persuasionem* & *præsumptionem* (uti Christianos ipsos, *præsumptores*) appellasse, plus satis constat. Sic judex ille profanus apud Prudentium, hymno III. 331. ad S. Laurentium ait:

Est ista vobis, novimus,
persuasionis vanitas.

& apud Minucium Felicem Cæcilius Natalis, Ethnicus adhuc, Christianis tribuit *ineptam persuasionem*. uti quoque Lucianus in Peregrino, de nostris, πιπίκασι, inquit, ὡς ἐοὶ κακοδαίμονες τὸ μὲν ὅλον ἀθάνατοι ἔναι. Cui loco plane geminus est ille Tertulliani, *persuasionem*, & *præsumptionem* ex Gentilium mente conjungentis, libro I. ad Nationes cap. XIX: *De persuasionibus omnis obstinatio nostra præstruitur: mortuorum enim præsumimus resurrectionem.* iste item libro de Testimonio Animæ cap. IV. *Forsitan de sensu post excessum tui certiores, quam de resurrectione quandoq; cujus nos Præsumptor es denotamur.* Adde quæ habet idem Apolog. cap. XLIX: *Hæ sunt, quæ in nobis solis Præsumtiones vocantur, in Philosophis & Poetis summæ scientiæ & insignia ingenia*, & quibus Christianam describit fœminam Apulejus Metamorph. lib. IX. *In vicem certæ religionis mentita sacrilega præsumptione Dei, quem prædicaret unicum, confictis observationibus vacuis, fallens omnes homines, & miserum maritum decipiens.*

XXIV. Eodem porro spectat, quod *Credulitatem* nostris passim objicit Herbertus (vide librum de Veritate pag. 263. 266. 299. & Coronidem opusculi de Causis Errorum pag. 1. 6.) simili iterum, qua Gentiles, ratione. Quos nempe compellans Arnobius

bius operis sui libro II, *Ridere*, inquit, *nostram fidem consuestis, atq; ipsam Credulitatem facetiis jocularibus lancinare.* & paulo post: *Cum comperti nihil habeatis & cogniti, omniaq; illa quæ scribitis, & librorum comprehenditis millibus, Credulitate asseveretis duce, quænam hæc est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostra in Credulitate communem?* Ita Cæcilius, apud Minucium, Christianos vocat *nimium credulos*; impiusque ille Celsus apud Originem libro I. probro iis dat, quod *assentiantur temere, & sine ratione sint creduli* (ἀλόγως πιστεύοντες) quodque rationem fidei nec reddere velint, nec recipere; sed in ore subinde habeant suum illud: μὴ ἐξέταζε, ἀλλὰ πίστευσον, *Ne inquire, sed crede.* quomodo & Julianum Apostatam Gregorius Nazianzenus, oratione I. contra ipsum, sic introducit nostros alloquentem: ἐδὲν ὑπὲρ τὸ, ΠΙΣΤΕΥΣΟΝ, τῆς ὑμετέρας δῆτα σοφίας, *Nihil quidquam ultra illud, CREDE, vos sapitis.* Confer quæ eamdem in rem habent Theodoritus, præfatus in libros adversus Græcos, ejusdemque operis libro I, Eusebius Præpar. Evangel. lib. I, cap. III, seqq. Lactantius libro V, cap. XIX, Augustinus libro de Utilitate credendi cap. IX, seqq.

XXV. Mirum vero, religionis dogmatumque incertitudinem tam proterve nobis objicere Herbertum: qui sane novam suam obtrusurus Theologiam, novamque salutis viam mortalibus monstraturus, suspenso gradu incedit ipsemet, ubi fidenter vestigia figat, utroq; consistat tandem, nusquam inveniens. Etsi enim toties Viatorem, solis communibus naturalibusque principiis innixum, salutis securum esse jubeat; alibi tamen, sibiipsi parum constans, suæque Theologiæ diffisus, fluctuantem heic animum aperte prodit. Nempe libro de Veritate pag. 285. postquam de *Veritatibus Catholicis*, quas vocat, sive de natura notis principiis, verba fecerat, *An hæc media*, inquit, *ad salutem æternam comparandam sufficiant, viderit, cui hæc cura sunt, Deus Opt. Max.*

Max. Nos quidem occulta Dei judicia minime rimamur. & pag. 286. *An his præstitis* (rejectis fabulis & superstitionibus, solisque notitiis communibus, sive articulis illis quinque, servatis) *necessario salventur* homines, *adeo non disputamus, ut hujusmodi omnia, quæ ab arcanis Dei consiliis pendent, è Sapientia & Bonitate divina consulenda relinquamus.* Similiter Coronide opusculi de Causis Errorum, pag. 32. ait: *An Articuli Catholici* (supra num. v. recensiti) *ad salutem æternam consequendam per se sufficiant, adeò non disputamus, ut de arcanis Dei consiliis piè sentire mallemus, quàm certi aliquid circa ea proferre.* & Appendice altera num. VII. *Sed neq; objiciant* Sacerdotes, *Articulos hosce Catholicos ceu media sufficientia ad salutem æternam comparandam a nobis proponi. Nihil enim de mediorum sufficientia, sed neq; de arcanis Dei consiliis* (*ut antea dixi*) *prudens statuerim.* Confer librum de Religione Gentilium cap. XV. pag. 217. Nec immerito ita fluctuat Naturalista, unicum humanæ Rationis dictamen totius disputationis suæ fundamentum constituens: qua innixos *nos in luce rerum tenui caligare, in mediocri cæcutire, in majore cæcos esse, in maxima insanire*, Exerc. CXXXI. 1. subtilis pronunciat Scaliger. uti ipse Aristoteles, Metaphys. lib. II. cap. 1, ὥσπερ, inquit, τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, *Quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ omnium manifestissima sunt.* Apparet autem vel ex hac Herberti vacillatione, non principaliter in suis Commentariis id ipsum agere, ut Religionem Naturalem stabiliat; sed, ut his actis cuniculis impium suum de labefactanda & opprimenda Revelata Religione consilium pertegat.

XXXVI. Verum ad priora revertamur. Utque patescat amplius, quam accurate veterum Paganorum vestigia legat noster ille Baro, eorumque placitis suam Theologiam accommodet,

modet, obſervabis porro, quod fidem & religionem Chriſtianorum ut *novam* paſſim traducat, præſertim libro de Veritate pag. 284. & opuſculi de Cauſis Errorum Appendice poſtrema num. IV, V. plane iterum conformiter antiquorum Gentilium praxi. Nam & his CHRISTI Apoſtolorumque doctrina dicebatur διδαχὴ καινὴ, *doctrina nova*, Act. XVII, 19. λόγος πρόσφατος, *doctrina nupera*, & ξένη καὶ καινὴ θρησκεία, *peregrina ac nova religio*, item διδασκαλία νέα, χθὲς καὶ ὀ πρότερον φανεῖσα, *doctrina nova, heri aut nudiustertius nata*, apud Theophilum Antiochenum libro III. ad Autolycum, & Euſebium Hiſt. Eccl. lib. V, cap. I. & lib. I, cap. II, IV. *religio novella, ante dies nata propemodum paucos*, apud Arnobium lib. II, *novellum commenti genus, error novus, dogma novellum, natum poſt evolutos mille demum Conſules ab urbe Roma*, apud Prudentium hymn. X, 37. XIV, 404. 583. 407. edit. Weiz. *ſuperſtitio nova*, apud Suetonium in Nerone cap. XVI, & in Inſcriptione veteri Hiſpanica apud Gruterum pag. 238. quemadmodum Chriſtiani νεώτεροι audiunt Libanio Sophiſtæ, orat. pro Templis Gentilium, *Novelli*, Gentilibus apud auctorem Commentariorum in Epiſtolas Paulinas, qui Ambroſio ſolent tribui, ad I. Cor. I, 26. *Nuperrimi*, apud Philaſtrium, Hæreſium quæ ſub Apoſtolis extiterunt LXI, καινὸν γένος Diogneto, apud Juſtinum M. epiſtola ad eumdem, *novellum nomen*, Paganis apud Arnobium libro II. Confer quæ eamdem in rem leguntur apud Origenem l. I. contra Celſum, & Cyrillum Alexandrinum lib. VI. contra Julianum.

XXVII. Ulterius antiqua etiam infidelium eſt cavilla, Chriſtianam religionem, qua quidem parte probari mereatur, ex Gentilium Philoſophorum ſcholis eſſe petitam. Ita namque de Celſo, famoſo illo Chriſtiani nominis obtrectatore, Origenes ſub finem libri V. τοῖς πιστεύουσι τῷ χριστιανῶν λόγῳ συνεχῶς ὀνομαζομένοις, ἀντιπαρατίθησιν ἀπὸ τῶν φιλοσόφων. βουλόμενος τὰ καλὰ τῶν νομιζομένων

κέλσῳ πρὸς χριστιανοῖς λέγεσθαι, καὶ βέλτιον καὶ τρανότερον εἰρῆσθαι πρὸς τοῖς φιλοσοφοῦσιν, ἵνα περισπάσῃ ἐπὶ φιλοσοφίαν, τοὺς ἁλισκομένους ὑπὸ τῶν αὐτόθεν ἐμφαινόντων δογμάτων τὸ καλὸν καὶ τὸ εὐσεβὲς, *Fidelium Christianorum placita recensens, opponit eis Philosophica; contendens, quid, quid bene a Christianis dictum putatur, & melius & dilucidius traditum apud Philosophos; ut ad Philosophiam retrahat a dogmatibus honestatem & pietatem præ se ferentibus.* Similiter libro I. idem ille calumniator scripsisse memoratur, si quid boni & laudabilis Christiani doceant, τὸ κοινὸν εἶναι καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους φιλοσόφους, ὡς οὐ σεμνόν τι καὶ καινὸν μάθημα, *commune hoc esse cum ceteris Philosophis, nec magni quidquam aut nostræ disciplinæ inesse.* Quibus geminum istud Tertulliani Apolog. cap. XLVI. *Eadem, inquit* Paganus, *& Philosophi monent & profitentur: Innocentiam, Justitiam, Patientiam, Sobrietatem, Pudicitiam.* Annon vero hoc illudipsum est quod & Herbertus habet, sub finem operis de Religione Gentilium: *Mucius Scævola, Pontifex Max. uti etiam Varro, quædam in Religionibus corrigere, tum fabulas potissimum explodere conati sunt: quin & Julianus Imperator Gentilium religionem à sordibus recrementisq; suis purgare voluit. Sed frustra, quum invaluissent jam errores. Sed & Platonici, Stoici, Philosophiq; omnes fere, tum temporis Religionem ad Virtutem & Pietatem in Deos & homines revocare aggressi sunt, ut in operibus eorum videre licet, quo vulgatis erroribus mederentur. Ceterum Christianis per id seculum meliores sanctioresq; Philosophorum illorum doctrinas sive extrahentibus sive confirmantibus, reliqua tota, tamquam Chymicorum nostrorum caput mortuum, inutilis & exsucca concidit Gentilium Religio, & tamquam exanimata obiit. Dum quippe virtutem omnem vitæq; puritatem sectatoribus suis imperarent Christiani, haut aliæ permansere veteris illius Religionis partes, quam quæ Patres Ecclesiæ facile riderent. Quorum operâ tandem factum, ut alii fidei articuli loco priorum substituerentur. Qui, licet per aliquot secula tarde crederen-*

derentur, obtinuere tandem, & hodierno etiam die passim obtinent.

XXIIX. Quæ postrema profanum malevolumque erga Christianam Religionem Herberti animum novo indicio produnt. Neque enim aliter de fidei mysteriis, cujusmodi, præter notitias communes, CHRISTI agnoscit Ecclesia, ille loquitur, ac si mera humani ingenii essent inventa; & vel sic etiam, non nisi fraudes esse & imposturas quidquid de libris rebusque Christianorum θεοπνεύστοις, opusculo de Veritate pag. 298. 310. paratragœdiat, plus satis facit manifestum. Detrahere item Christianismi existimationi eo conatur auctor, quod *per aliquot secula TARDE* creditos fuisse ait fidei nostræ articulos; contra unanimem omnium tum sacrorum tum aliorum scriptorum consensum. E quibus speciatim Eusebius, Herberto quasi in os contradicens, Historiæ Eccl. lib. II, cap. III, οὐρανίῳ, inquit, δυνάμει καὶ συνεργίᾳ ἀθρόως, οἷά τις ἡλίου βουλὴ, τὴν σύμπασαν οἰκουμένην ὁ σωτήριος κηρύγαζε λόγος, αὐτίκα ταῖς θείαις ἐπομένως γραφαῖς, ἐπὶ πᾶσαν προήει τὴν γῆν ὁ φθόγγος τῶν θεσπεσίων εὐαγγελιστῶν αὐτοῦ καὶ ἀποστόλων, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. καὶ δῆτα ἀνὰ πάσας πόλεις τε καὶ κώμας, πληθυούσης ἅλωνος δίκην, μυρίανδροι καὶ παμπληθεῖς ἀθρόως ἐκκλησίας συνεστήκεσαν, *Salutaris Dei sermo, tamquam Solis radius, universum terrarum orbem SUBITO illustravit, &, prout in sacris literis prædictum fuerat, in omnem terram exivit sonus Evangelistarum simul ac Apostolorum, & usqe ad fines terræ verba eorum. Per omnes igitur civitates & vicos Ecclesiæ, infinita hominum multitudine abundantes, velut areæ quædam frugibus refertæ, BREVI congregatæ sunt.* Alia testimonia damus ad Plinii de Christianis primævis epistolam, pag. 169. seqq. unde simul, quomodo ex mirabili illo religionis suæ progressu & felici propagatione pro veritate ipsius evincenda argumentum petierint antiqui, discere poterit lector.

XXIX. Imo ut alias veterum Paganorum vestigiis in calumni-

 ando

ando & obtrectando preſſius inſiſtere amat profanus noſter Theologus: ita heic in mentiendo palmam iis dubiam facere ſuſtinet. Quod enim lento gradu proceſſerit Chriſtianismi propagatio, tantum abeſt ut dicant οἱ ἔξω, ut potius de repentinis ejus incrementis ſubinde conquerantur. Hinc videlicet proxime poſt Apoſtolorum ætatem Plinius ex Bithynia ad Trajanum ſcribebat, libri x. epiſtola xcvii: *Multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusq; ſexus etiam, vocantur in periculum*, ob interdictam Chriſtianiſmi profeſſionem, *& vocabuntur. Neque enim civitates tantum, ſed vicos etiam atq; agros, ſuperſtitionis illius contagio pervagata eſt.* & indignabundus refert Tacitus Annal. xv, imperante Nerone *exitiabilem ſuperſtitionem* (religionem Chriſtianam tali elogio ornat) *erupiſſe, non modo per Judæam, ſed per urbem etiam.* Paulo poſt illa tempora exclamavit, teſte Luciano in Pſeudomante, impoſtor Alexander, ἀθέων ἐμπεπλῆσθαι καὶ χριστιανῶν τὸν πόντον. Septimio Severo Imperatore, adeoque ſeculo a Christi cruce non niſi ſecundo, Gentiles ſic affabatur Tertullianus, ſub initium operis ad Nationes: *Quotidie adoleſcentem numerum Chriſtianorum ingemitis. Obſeſſam vociferamini civitatem: in agris, in caſtellis, in inſulis Chriſtianos.* Circa idem fere tempus Minucius Felix Cæcilium, hominem infidelem, de Chriſtianismo ſic loquutum introduxit: *Ut fœcundius nequiora proveniunt, ſerpentibus indies perditis moribus, per univerſum orbem ſacraria iſta teterrima impiæ coitionis adoleſcunt.* Non adeo longe poſt Maximinus tyrannus, de noſtra religione, χεδὸν εἰπεῖν, dixit, τὰ παντάχῃ τῆς οἰκουμένης αἰσχύναις ἔπλεξε, *Univerſum propemodum terrarum orbem probro ac dedecore opplevit*; rurſumque, in reſcripto ad Sabinum, queſtus eſt, χεδὸν ἅπαντας ἀνθρώπους καταλειφθείσης τῆς τῶν Θεῶν θρησκείας, τῷ ἔθνει τῶν χριστιανῶν ἑαυτὰς συμμεμιχότας, *cunctos fere homines, relicto Deorum immortalium cultu, ad Chriſtianorum ſectam ſe applicuiſſe.* Vide Euſebium Hiſtoriæ Eccl. lib. ix, cap. vii. & ix. Eodem ſpectant hæc Conſtantini M. apud Euſe-

Eusebium, de vita ipsius lib. II, cap. LX: τινὲς, ὡς ἀκήκοα, φασὶ, τῶν ναῶν τὰ ἴδια, καὶ τὸ σκότος τὴν ἐξουσίαν, *Nonnulli, ut audio, asserunt, ritus ac ceremonias templorum & potestatem tenebrarum penitus esse sublata.* Quomodo & sua ætate Augustinus descripsit idololatras, quod sint, *qui Christianum nomen oderunt, & dolent, eo nomine occupatum esse orbem terrarum*; libro de Catechizandis rudibus cap. XXV.

XXX. Ut vero ad criminationes regrediamur, quæ vel ab Ethnicis fidei nostræ hostibus mutuatus est, vel ab eodem, a quo illi, διαβολωτάτῳ spiritu hausit Herbertus; plus satis novimus, vitio quam maxime datum esse Christianis primævis, quod doctrinæ suæ tam constanter adhærerent, ut ad eam abnegandam nullo suppliciorum genere potuerint adigi, eoq; nomine obstinationem, pertinaciam, brutamque stoliditatem ipsis fuisse exprobratam. Inde scilicet Tertullianus, libro I. ad Nationes cap. XIIX, *Reliquum*, ait, *obstinationis in illo capitulo collocatis, quod neq; gladios, neq; cruces, neq; bestias vestras, non ignem, non tormenta, ob duritatem & contemptum mortis, animo recusemus.* & Lactantius scribit, Institut. lib. V, cap. IX. *Qui magni æstimaverint fidem, - eos desperatos vocant* Gentiles, *quia corpori suo minime parcunt.* uti supra, cap. II, impium quemdam Philosophastrum Christianis auctorem fuisse dixerat, *ut, pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta devitent, neu sævas membrorum lacerationes frustra perpeti velint.* Sed & Plinius, epist. XCVII. libri X, *pervicaciam & inflexibilem obstinationem* eadem de causa nostris tribuit; iisdemque *temerariam desperationem* ab infidelibus objectam fuisse Arnobius auctor est libro VI. Apud Prudentium item, hymno XIV, 63. ed. Weiz. profanus miles Christianos queritur

flagrare cunctos pervicaci audacia,
Jugulos retectos obstinate opponere.

quemadmodum Asclepiades Judex *mentem obstinatam & rigorem*

 pectoris

pectoris in S. Romano martyre ibi notat vers. 582. 581. atq; *callum pectoris* in S. Vincentio Datianus, hymn. 11, 17. Imo vulgari convicio CHRISTI confessores vocabant tunc *contumacem plebem, homines deploratæ ac desperatæ factionis, desperatos & perditos.* Vide, præter Prudentium & Lactantium jam citatos, Minucium Felicem in Octavio, ac Tertullianum Apolog. cap. L. Qui ipse Tertullianus memorati jam libri capite XXVII, obstinationi dementiam in hoc negotio jungit, *Quidam*, scribens, *dementiam existimant, quod, cum possimus & sacrificare in præsenti, & illæsi abire, manente apud animũ proposito, obstinationem saluti præferamus.* plane ut Lactantius etiam ait, libro V, cap. XIII: *Stultos arbitrantur esse, qui, cum habeant in sua potestate, supplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt.* ac in Epitome cap. I. *Hominibus videtur ineptum ac stultum, torqueri ac mori velle, cum libere liceat arbire sine noxa.* Quibus omnibus annon gemina sunt, obsecro, & per omnia respondent illa Herberti, libr. de Veritate pag. 273. 274. *Cogita, & INSANOS & IRRATIONALES non paucos deprehendi posse inter illos, qui rationale tanquam ultimam Hominis differentiam tuentur. Neque enim aliter inter tot miras circa Religionem contradictiones tot dari potuisse Martyria, nulla fere ut μυθώδης Ecclesia suis non glorietur Agonistis, qui non solum (ejus causâ) austerissimum aliquod vitæ genus professi sunt, sed ultroneam etiam subiere mortem, nisi quod hominum PERTINACISSIMI, & SUMME IRRATIONALES, Verum à verisimili, à possibili, & à falso distinguere nequiere, statuendum est?* Certe ipsos etiam Christianæ Ecclesiæ Martyres insaniæ ac pertinaciæ heic argui liquet, cum & illi pro doctrina revelata, tamquam pro immota veritate, sanguinem, sanguinem fundant, quam tamen nonnisi verisimilem esse, ubique in scriptis suis asseverat Herbertus.

XXXI Solebant insuper ipsa Christianæ fidei dogmata, ut fatua, stolida, absurda, maximeque noxia, traducere Gentiles. Quam in rem tot extant veterum testimonia, ut cuncta produ-

cere

cere velle, tædioſi futurum eſſet laboris: quum vel millies Religio noſtra profanis illis obtrectatoribus μανία dicatur, μωρία παραβλογία, ſtultitia, inſania, amentia, inſipientia, demens ſuperſtitio, furioſa opinio, ἄλογος καὶ ἀνεξέλεγκτος πίστις, ἀβέλητος λατρεία, apud Juſtinum, Theophilum, Tertullianum, Cyprianum, Minucium, Lactantium, Prudentium, Euſebium, Cyrillum; ut eadem in edicto Maximini, quod Euſebius exhibet, Hiſtoriæ Eccleſ. lib. IX, cap. VII, ὀλέθριος audit ἀγνοίας σκότος, exitialis ignorantiæ caligo, & ὀλέθριος πλάνη τῆς κατασκευῆς ματαιότητος, peſtiferus error inaniſſimæ vanitatis. An vero heic forſan mitius agit nobiſcum Herbertus, Imo familiare ipſi eſt, Chriſtianæ doctrinæ capita ut abſurda ſeque ipſamet evertentia vellicare. Speciatim de ſatisfactione CHRISTI, fide juſtificante, & poteſtate clavium dogmata, tamquam oppido pernicioſa praxique pietatis non parum inimica paſſim ſugillat. Sic libro de Religione Gentilium cap. XV, pag. 210. 211. poſtquam ſuos illos quinque articulos recitaſſet, *Viderint*, ſubjungit, *Antiſtites Præſules*q; *per totum orbem diffuſi, quid hiſce quinq; Articulis addere potuerint, unde vera illa Virtus, quæ homines Deo ſimiles, conſortioq; ejus dignos efficit, vel Pietas, Puritas, Sanctitas*q; *vitæ magis promoveri poſſent. Operæ pretium* (*inquam*) *fuerit, videre, annon, quæ hiſce adjungi ſolebant, totam mollirent potius Religionem, minusq; ſeveram redderent, dum SUBSIDIARIA OPERA, vel aliis quibuscumq; adminiculis, gratiam divinam citius impetrari poſſe aſſeverarent.* & pag. 217. *Sat equidem ſcio, plurimas ubiq; fere gentium invulgari doctrinas, unde in ſpem veniæ cito adducantur peccatores; ſed & doctrinas illas ingens ſolatium peccatoribus afferre: vereri tamen heic liceat, ne doctrinæ illæ* (*niſi rite cauteq; explicentur*) *peccatoribus officiant, utpote qui ex facili delictorum ſuorum condonatione ad volutabrum citius revertantur, & in fœdiora ſubinde delabantur crimina. Dum enim ex SUBSIDIARIA OPERA ſalutem ſuam impetrari poſſe credunt, quæ ad ſuas ſpectant partes deſti-*

tuunt

tuunt ut plurimum vel negligunt. Sed virtutem & pœnitentiam pariter ſuaderi, vel etiam indici, reſpondebunt Sacerdotes. Verum enimvero, ut hoc etiam concedatur, communis tamen teſtatur experientia, ab externis auxiliis potius, quam ex virtute & interna pœnitentia ſalutem æternam peti ſolere. Similiter Coronide libri de Cauſis Errorum, pag. 29. 30. ait: *Quæ ſub* Religionis *obtentu crudiores nonnunquam exhibentur doctrinæ, adeò non corrigunt mores, ut minus ſibi inde caveant homines, dum SUBSIDIARIA OPERA maximè propitiari Numen, peccata condonari, cœlos recludi confidunt, quæ ad ſuas interim valent partes, haud ſatis advertentes.* & clarius pag. 33. *Hoc advertant* Antiſtites, *num facilis illa condonationis peccatorum ex Fide quavis (quantumvis laxa) oſtentatio ſeveram illam virtutem, ex qua Dei conſortio digniores reddamur, promoveat. Cùm ex ſpe veniæ promiſcuè gregi (tum ex FIDE SOLA alicubi) facta, proclivieres in peccata ruere homines paſſim videre ſit.* Gemina habentur Appendice ultima, num. VI, & de Religione Gentilium cap. XV, pag. 190. ubi *Theologaſtros* vocat Matæologus qui doctrinam de Fide juſtificante Apoſtolicam propugnant: quam ſane vel non intellexit, vel, ſi intellexit, malitioſe pervertit ſuperbus imputator. Quem etiam non pudet, libro de Veritate pag. 195. ipſum Apoſtolum Paulum ut hominem inficetum traducere, quod *ſe nihil boni cogitare poſſe* ait II. Corinth. III, 5. Cui de depravata natura humana dogmati, tamquam abſurdo, & alias, præſertim dicti operis pag. 126. ſeqq. petulanter inſultat profanus ſcriptor; uti quoque pag. 265. pronunciata: *Rationem humanam exauctorandam. Fidem ſubſtituendam eſſe. Eorum quæ prædicantur, (tametſi captum humanum ſuperent) veras adeò ſubeſſe cauſas, ut non tam ventilanda quàm reponenda fuerint*; adeoque Theologiam iterum Paulinam, Rom. I, 5. XVI. 26. II. Cor. X, 5. impie exagitat. Sed pergendum.

XXXII. Innuimus, præfatione hujus commentarii, ſolemne fuiſſe infidelibus, Moſi, Prophetis, Apoſtolis, horumque ſectatoribus,

toribus, quin ipsimet CHRISTO, fraudes impostura sque per immanem blasphemiam impingere. Hoc ad eum modum se habere, passim veterum monumenta testantur. Neque enim perditissimi Judæi dumtaxat Redemptorem nostrum vocabant τὸν πλάνον, *præstigiatorem*, Matth. XXVII, 63. & λαοπλάνον, *plebis seductorem*, apud Justinum M. dialogo cum Tryphone: sed & Pagano isti conviciatori Luciano, in Peregrino, idem ille audit ἀνεσκολοπισμένῳ ἐκεῖνῳ σοφιστής, Celso apud Origenem, ὁ γόης lib. I. & VI, ὁ ἐξαπατήσας lib. VII. Confer. Eusebium Demonstrat. Evangel. libro III, cap. II, III, IIX. Similiter Apostolos ὡς πλάνους fuisse habitos, Paulus significat II. Cor. VI, 8. & impius ille desertor Julianus, apud Cyrillum libro III, eumdem hunc fidelissimum Dei servum, τὸν πάντας ταυταχοῦ τοὺς πώποτε γόητας καὶ ἀπατεῶνας ὑπερβαλλόμενον Παῦλον, *omnes omnino umquam qui fuerunt præstigiatores impostores*q; *superantem Paulum*, scelerate appellat. Quin ad cunctos CHRISTI nomen professos illas transiisse criminationes, ut sophistæ, præstigiatores, impostores, dicerentur, ex antiquorum scriptis notum. Sic Asclepiades, Judex ethnicus, apud Prudentium ait, hymn. περὶ στεφ. XIV, 404.

Quis hos Sophistas error invexit novus,
qui non colendos esse divos disputent?

& Celsus Christianos γόητας, *præstigiatores*, vocat, eosdemq; μητεραγύρτας, *circulatoribus*, horumque similibus impostoribus comparat, qui rudi popello illudunt, & per dolos suos simplicem plebeculam circumducunt, apud Originem libro I, III, VI. Gemina videsis in dialogo qui Philopatris inscribitur, & impio illi subsannatori Luciano solet tribui, item in historia Barlaami cap. XXII, XXIII, XXIV, denique apud Hieronymum epist. X & XIX, ubi, quod CHRISTI cultores vulgari convicio *Impostores* a Gentilibus appellari sueverint, indicium facit vir sanctus.

XXXIII. An vero heic in diversum abit forte a calumniantibus

tibus Ethnicis Herbertus? Minime sane! Etenim de Notitiis Communibus, quas vocat, sive natura cognitis principiis, disquirens libro de Veritate pag. 77. *Summam*, ait, *Instinctus Naturalis legem facimus (insanos si demas & mente captos) consensum universalem. Particularia enim tanquam suspecta, & IMPOSTURAM olentia, vel saltem tanquam erroribus diluta, habuimus semper.* Ubi vides, impostura olere Herberto quidquid ita verum credunt particulares hominum cœtus, ut non consensu orbis universali recipiatur; adeoque, impostura ipsi olere potissima Ecclesiæ Christianæ dogmata, quippe quæ nec Paganos, nec Judæos, nec Muhammedanos, recipere in confesso est. Similiter ejusdem operis pag. 203. nihil tamquam verum, id est, certum, admitti debere disputans, nisi quod attestantem habeat aliquam nostram facultatem, sive cujus veritatem sensus aut intellectus (solo lumine naturali collustratus) doceat, *Artem*, scribit, *ex quibus ista omnia enodari possunt, heic pandimus. Neq; igitur deinceps IMPONANT Scholæ. Eadem enim si dentur facultates, eadem objecta, nisi conditiones, (vera scilicet methodus) desint, cur hic illo sapientior evaderet?* impostura iterum Christianæ religionis Doctoribus, qui multa utique credenda immotoque assensu tenenda tradunt mysteria, quorum rationem nullus sensus, nullus sibi relictus intellectus humanus assequitur, diserte objiciens. Id quod his repetit verbis infra, pag. 257. *Quæcunq; ex facultatibus sciri possunt, heic docentur: extra illas autem neq; fidus conjecturæ locus. Desinant igitur deinceps IMPONERE Authores, cujuscunq; tandem classis fuerint. Cum enim circa eadem versemur objecta, cur hic illo peritior evaderet? Sobrie interea sapiendum, & potius intra facultates, quam extra. Neq; igitur calamitoso Juveni à Præceptore tetrico miserè distorto probrosum videatur, si subtilitates & ineptias Scholarum se minimè adsequi occlamitet, ea lege, ut res ita esse non posse, minimè diffiteatur.* Amplius pag. 283. de sacris agens Ceremoniis (quo

no-

nomine ipsa etiam Ecclesiæ Sacramenta sine ullo dubio complectitur) *Dum*, inquit, *ab Antistitibus tanquam Religionis essentiales partes statuuntur, & Religioni & nobis ipsis IMPONITUR.* Sic quoque pag. 289. de Revelatione, & quousque fidendum ei sit, disputans, *Magnopere cavendum*, scribit, *ne IMPONATUR. quod atrabiliariis, superstitiosis, & causas rerum ignorantibus, ubiq; contingit.* Quomodo etiam libro de Causis Errorum pag. 57. ait: *Quod de Revelato & extatico pervulgari solet sensu, nisi indubiam fidem ab ipso Revelante supernaturali accipiat, eliminandum censeo; quum innumeræ aliter consequi possint hallucinationes & IMPOSTURÆ.* Cujus loci sententiam ex iis quæ supra num. xv. allata, clarius percipere poterit lector. Sed & in Coronide dicti libri pag. 18. Ecclesiæ sugillans dogmata, speciatim de beatitudine speranda ob fidem in CHRISTUM, deque suppliciis infernalibus, Antistites & Sacerdotes suo eminere posse ait singulari loco, modo cautum sit: *ne salutem æternam in iis quæ multum controversa collocent; ne peccatorum remissionem facilem nimis jactent; ne supplicia, quàm quæ culpæ delictoq; paria, idoneaq; remetiantur; ne ultra facultates* (sensus, sibique relictum intellectum) *sapiant. Secus quippe si fecerint*, ait, *IMPONENT.* Adde operis de Veritate pag. 129. 318. 320. ubi de *Logodædalis, Prævaricatoribus, Obvaricatoribus*, ac iis qui *auditores suis strophis emungant.*

XXXIV. Imo, ut spiritum plane Ethnicum in Theologastro hoc agnoscas, ne Mosi quidem, Prophetis, Apostolis, quid? ipsimet CHRISTO, ille heic parcit. De Prophetis nempe generatim ita scribit, libro de Veritate pag. 308. 309. *Ut Propheta sit aliquis, plurima postulantur. Afflatum quippe divinum dari heic necesse est, quo impræguetur mens, & ad futurorum prænotionem idonea reddatur: cujus vim tamen haud alius quàm ipse Propheta ceperit, donec eventus illum consignet & comprobet. Ex quibus liquet, longè plura ad adstruendas Prophetiarum, quàm historiarum veritates desiderari.*

vari. Neq; enim sufficit, ut futura lato quodam & indeterminato modo prædicantur, nisi locus, tempus, reliquæq; circumstantiæ rem signantes adducantur. Quapropter etiam non solùm statura, color, & ipse vultus (cum reliquis lineamentis hominem quemcunq; ab omnibus aliis distinguentibus) graphicè depingi debent; sed & actiones ejus præcipuæ de die in diem luculenter enarrandæ sunt, ut sibi fidem pariat Propheta. Nam si vagæ tantummodo conjecturæ (quæ per incertum temporis locique spatium ita feruntur, ut quovis seculo vel regione obtineant) Prophetam indicaverint, quis non Propheta audierit? Cum nihil fingi possit, non dico possibile, sed etiam incongruum, & tantum non impossibile, quod non alicubi & aliquando eveniat vel accidat. Si interea veras (obscuras licet) prophetias posteris consignatas fuisse olim, contenderit quispiam, videat saltem, num, ad pictoris instar, vel formam hominis venturi particularem, aut, Historici instar, actionum diarium (una cum nominibus eorum qui interfuerint) disertim tradiderit Propheta. Nam si utroq; modo defecerit, ne ille (Propheta ut fuerit) personam Prophetæ haud satis pro dignitate sustinuerit. Si tamen leviori negotio prophetias fieri posse contenderit quispiam, non morabor; sed, ne sibi ipsi imponat, ex animo tantum optaverim. Similiter appendice postrema libri de Causis Errorum, num. v, Ut concedatur, ait, aliquos (sive Prophetas, sive Sibyllas) spiritu divino afflatos quondam fuisse, disquiri tamen debet, num ita luculenta tum temporis fuerint eorum prophetiæ, ut distinctam effigiem personæ alicujus venturæ, simul cum nomine & historia ejus perpetua, sed præsertim miracula (si quæ ederentur) satis præmonstrata fuisse constet.

XXXV. Quæ si vera, nec Esaias, nec Jeremias, nec ceterorum ullus, quos ut Prophetas Ecclesia Christiana veneratur, temperque est venerata, verus Propheta fuit, quum nemo eorum de CHRISTO ita sit vaticinatus, ut hujus staturam, colorem, vultum, cum reliquis ab alius hominibus ipsum distinguen-

ſtinguentibus lineamentis, depinxerit, aut actionum ejus diarium tradiderit: indeque mundo impoſuiſſe oportet viros illos, dum Prophetas, ex Dei ore futura prædicentes, ſe ipſos palam toties ſunt profeſſi; oportet impoſuiſſe, præter ſcriptores Veteris Teſtamenti, Evangeliſtas & Apoſtolos, qui eorumdem teſtimoniis de mundi Redemptore Propheticis omnem ſuam doctrinam unice inædificarunt; adeo ut S. Paulus aperte profiteatur, nihil quidquam de CHRISTO dixiſſe ſe extra ea quæ Prophetæ & Moſes futura prædixerint, Act. XXVI, 22. ſimiliter ut B. Petrus impleta fuiſſe ait, quæ de CHRISTO Deus prænunciaverit per os OMNIUM ſanctorum ſuorum Prophetarum, Act. III, 18. 21. X, 43. denique impoſuerit neceſſe eſt CHRISTUS ipſemet, quando (ut alia nunc mittamus loca) Prophetam Eſaiam de ſe vaticinatum eſſe, conceptis verbis affirmat Luc. IV, 21, imo Scripturas Propheticas generatim de ſe teſtari ait Joh. V, 39.

XXXVI. Porro, quid ſibi vult quod ſcribit auctor, libro de Religione Gentilium cap. XV, pag. 211, 212. *Ecquis Sacerdotis alicujus revelationi particulari, vel ejus ſomnio, - vel ipſi Deo (uti illi videbatur) dictanti, eam fidem præſtitiſſet, ut ſe totum illi crederet? - Quis adſtitit, aut præſens unà cum Sacerdote fuit, qui vocem ipſam à Deo prolatam certo ſciret, & teſtimonium Sacerdotis confirmaret? Anne Deo ita familiaris erat olim quiſpiam, ut illum ex voce noverit?* Certe eo hæc tendunt unice, ut ſuſpecta reddatur Moſis & Prophetarum fides, dumque ad allocutiones & revelationes divinas provocant, fraudis ac impoſturæ illi inſimulentur. Tametſi enim jamjam expreſſo loco de Gentilibus proprie agat auctor, rationibus tamen utitur generalibus, quæque (ex Herberti ſane mente & ſententia) non minus contra noſtros Prophetas, quam Ethnicorum Vates, habent roboris. Et ne dubites, ſupra allato teſtimonio jungimus alterum, quod ejusdem libri pagina 217. 218. legitur. Ibi enim aperte diſputans auctor de iis generatim quæ

præter quinque ipsius articulos ut necessaria ad religionem requiruntur (requiruntur autem hujusmodi multa etiam a Christianismi professoribus) dubia illa & suspecta facere ex eo conatur, quod nonnisi testis singularis auctoritate nitantur. Verba impostoris: *Si plurima alia ad religiosum Dei cultum postulari, quam quæ in quinque articulis supra memoratis continentur, mordicus contenderint sive prioris sive posterioris seculi Sacerdotes, ea nempe quæ ex oraculo aliquo divino, sive effato aut VERBO DEI* (ecce, heic manifesto Christianos tangit, quibus *Verbi Dei* appellatio, ut Paganis *Oraculi*, familiaris) *jubentur ita quidem, pace tantorum virorum, non inepte responderit laicus Gentilis, scilicet ut oraculum hujusmodi, sive effatum, sive VERBUM DEI, asseratur, requirere, - ut cunctis sit manifestum, doctrinam, quæ ex oraculo, sive effato, aut VERBO DEI, cuditur, ad posteros ita intime spectare, ut in fidei articulum necessariò transeat, tum ob id potissimum, quod ex testis singularis officina hujusmodi omnia fere prodeant.*

XXXVII. Amplius & illa expende, obsecro, quæ leguntur Appendice postrema libelli de Causis Errorum num. v: *Disquiri debet, - an ex Miraculis editis ea alicui homini vel personæ adhibenda sit fides, ut illum arcanorum Dei consiliorum conscium fuisse, aut potestatem conflandi novam Religionem à Deo summo habuisse, tutò satis statuerit laicus, etiamsi pro numero Articulorum in Religione nova extantium miracula nova sigillatim in eorum sanctionem passim patrata essent: cum vaga quædam miracula à Magis & Incantatoribus facta, quin & à Præstigiatoribus & Impostoribus populo ostensa fuisse, passim testentur historiæ, sed ut nullus novus tamen religiosus inde adornaretur cultus.*

XXXIIX. Nimirum, si ex editis miraculis non ea alicui habenda fides, ut illum arcanorum Dei consiliorum fuisse conscium, tuto satis statuatur; impostoras oportet esse quæ habentur Exodi IV, 1. seqq. videlicet quod ipse Deus ter opt. max. causantem Mosen:

Moſen: *Ecce, non credituri ſunt mihi Israëlitæ, neq; auſcultaturi voci meæ; nam dicent, non apparuit tibi Ihova:* miracula jubet edere, *UT CREDANT*, inquiens, *apparuiſſe tibi Ihovam Deum patrum ſuorum.* & rurſum: *Hoc fiet, ſi non crediderint tibi, neq; auſcultaverint voci & ſigno priori, ut credant voci & ſigno alteri.* imo ipſum CHRISTUM falli oportet & fallere (ignoſcas ex ſententia hoſtis tui hæc experimenti, mi JESU!) quando ita Judæos compellat, Joh. x, 37. 38. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei teſtantur de me. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſin vero illa facio, etiamſi mihi non credatis, operibus tamen* (miraculis, quæ a me eduntur) *credite.*

XXXIX. Deinde heic nota denuo, quam ſuaviter conſpiret in omnibus cum priſcis Chriſtianismi obtrectatoribus novus e Britannia Calumniator. Solebant videlicet iſti, ubi pro CHRISTI deitate doctrinaque cœleſti demonſtranda, ejus miracula a noſtris urgebantur, quæ a famoſo illo Apollonio ſimilibusque Magis & præſtigiatoribus patrata eſſent θαυμασὰ, iisdem opponere. Quo de argumento, ſub titulo *Philalethes*, ſingulare opus edidit Hierocles, ab Euſebio Cæſarienſe confutatum. Sed & Lactantius lib. v, cap. III, de quodam Bithyniæ Philoſopho, fidei Chriſtianæ antagoniſta, *Cum*, inquit, *facta CHRISTI mirabilia deſtrueret, nec tamen negaret, voluit oſtendere, Apollonium vel paria, vel etiam majora feciſſe. Mirum*, ſubjungit, *quod Apulejum prætermiſit, cujus ſolent & multa & mira memorari.* Ac ſane conſueviſſe Gentiles Apollonio Apulejum heic jungere, docent illa Porphyrii, apud Hieronymum in Pſ. LXXXI, 8. *Non eſt grande, facere ſigna. Nam facere ſigna in Ægypto Magi contra Moſen; fecit Apollonius, fecit & Apulejus;* docet item Marcellinus, epiſtola ad Auguſtinum (eſt in volumine epiſtolarum Auguſtinianarum IV) ubi de Paganis ſcribit: *Nihil aliud Dominum, quam alii homines facere potuerunt, feciſſe mentiuntur. Apollonium ſuum nobis, & Apulejum, aliosq; Magicæ artis homines,*

mines, in medium proferunt, quorum majora contendunt extitisse miracula. Ad quæ respondet Augustinus epistola v: *Quis vel risu dignum non putet, quod Apollonium & Apulejum, ceterosque magicarum artium peritissimos, conferre CHRISTO vel etiam præferre conantur?* Ita, inquam, a miraculis petitum argumentum, quod pro Deitate Christi divinaque ejus doctrina evincenda veteres urgebant Ecclesiæ πρόμαχοι, eludere conabantur Gentiles: quorum vestigiis quam accurate heic etiam insistat Herbertus, ante recitata ipsius verba Sole clarius ostendunt. Et quamquam, Christum fuisse Magum, Magiæque virtutute, uti & discipulos ipsius, miracula factitasse, quæ Paganorum erat blasphemia, non æque diserte idem asserat; declinans scilicet, quoad fieri potest, nasciturum inde offensionem, & *ænigmatica* ideo atq; *tenebricosa* scribendi ratione (quod ipse libro de Veritate pag. 315. & de Causis Errorum pag. 152. dissimulare non potest) data opera subinde utens; revera tamen haud aliter ipsum sensisse, ex tota disputationis ejus serie & scopo plus satis est manifestum.

XL. Unum adhuc subjicere lubet. Oportet Religionem, quæ vera, & a Deo patefacta, ita esse comparatam, ut nec nova sit, sed extiterit quamdiu fuerint homines, nec umquam, quamdiu orbis est, hominesque supersunt, pessum sit itura. Hæc igitur κρίτηρια quo minus Christianismo competere crederentur, & novitatis insimulabant illum Ethnici, & aliquando, imo brevi, interiturum eum, atque ex orbe universo exterminatum iri, persuadere mortalibus satagebant. De priori supra jam dictum. Quod attinet ad posterius, Augustinus libro XIIX. de Civit. Dei cap. LIII, Paganos finxisse narrat, *Dæmonum responsis, quos tanquam Deos colunt, definitum esse, quanto tempore mansura esset Religio Christiana:* nimirum *ut coleretur CHRISTI nomen per CCCLXV annos, deinde, completo memorato numero annorum, sine mora sumeret finem.* Cujusmodi vaticinium apud Prosperum quoque Aquitanum legitur,

gitur, de Prædictionibus & promissionibus Dei libro III, cap. XXXIIX. Confer amplius quæ hanc in rem observata nobis ad Plinii de Christianis primævis epistolam pag. 186. seqq. Jam ut in eo Paganos Herbertus sequitur, quod Religionis novitatem Christianis objicit (vide supra num. XXVI.) ita non minus, etiam post tot seculorum decursum, quibus nullo Diaboli furore, nullis impiorum hominum molitionibus Christiana extingui potuit religio, hujus interitum, suique contra Naturalismi publicam in orbem introductionem speraſſe illum, plane persuadent quæ in Coronide libri de Causis Errorum pag. 17. seqq. disputat: ubi scilicet obviam ire incommodis illis nititur, quæ extimescere quis posset, *si Veritatibus Catholicis solis steterit populus*, hoc est, si Religionem Naturalem, qualem ipse commentus est, missis Christianismi mysteriis, fuerit amplexus; inter cetera sic disserens: *Sed Antistitibus saltem Sacerdotibusq; haud levi detrimento esset* Christiani cultus abrogatio. *Sed non ita certè, quin tum Hierarchiæ sua veneranda authoritas & stipendium, tum Sacerdoti, Sacrificulog; minimo, suum obtigerit munus. Dum enim aperiendi vel claudendi Templa, dum deprecatores publicos versus Deum agendi, dum populum veris sacris initiandi, dum conciones è suggestis edendi, dum peccatorum remissionem ex vera pœnitentia denunciandi, dum consolandi ægrotos, & sepeliendi mortuos, oblationesq; suas recipiendi, penes illos jus esset, suo prorsus eminerent singuli loco.*

XLI. Atque ex hactenus allatis ὀφθαλμοφανείᾳ patere arbitramur, protestationem esse facto prorsus contrariam, quando *impostoris* se in scriptis suis uti nolle, tam sancte asseverat Herbertus, speciatim libro de Veritate pag. 95. 141. An enim imponere non censendus ille, qui, cum nihil non Scripturæ sacræ tamquam θεόπνευστον & a Deo profectum pie credi, eique idcirco *IN OMNIBUS, quæ olim gesta prædicantur, FIDEM CONSUMMATAM* haberi posse asserat (vide supra num. IX.) unice tamen id agit,

ut incerta esse & suspecta, partim etiam absurda, fatua, pernicioſa, quæcumq́, præter quinq́; vi luminis naturalis cognitos articulos, ex Codice Biblico credit Eccleſia, universo orbi persuadeat? qui Credulitatem toties Christianis objicit ut certam veritatem talia amplectentibus? qui insanos proclamat summeque irrationales, quotquot mortem subire, quam revelata illa dogmata missa facere, ducant satius? qui Mosi, Prophetis, CHRISTO ipsi, omnibusque horum doctrinam sectantibus, impostoras & fraudes impingere non dubitat? qui interitum Christianæ religionis optat & sperat? qui denique nihil prætermittit eorum, quæ umquam adversus Christianismum professi ejus hostes moliti sunt, aut hodie etiamnum moliuntur? Sed nolumus rei manifestæ immorari diutius.

SECTIO II.

DE

THOMA HOBBES.

I.

COnsiderata Herbertiana Theologia, ad Hobbesium progredimur, sive, ut se vocare solet ipsemet, subinde etiam a popularibus aliisque nationibus vocatur, Hobbium.

II. Thomas igitur Hobbes, Malmesburiensis, non unius argumenti nec ejusdem idiomatis scripta edidit. Præcipua sunt: *Problemata Physica*, quibus annexæ propositiones de *Magnitudine Circuli*, & *Duplicatione Cubi*; *Examinatio & Emendatio Mathematica hodiernæ*, liber Johanni Wallisio, Professori Oxonienſi, oppositus; *Elementa Philosophiæ*, opus tribus sectionibus distinctum: quarum prima, de *Corpore* inscripta, naturam Philosophiæ in genere, resque Logicas, Physicas, Metaphysicas, & Mathematicas, peculiari nec alias usitata ratione & methodo proponit; secun-

secunda speciatim de *Homine* agit; tertia de *Cive*; porro Dialogus de *natura Aëris*; liber de *Principiis & ratiocinatione Geometrarum, contra fastum Professorum Geometriæ*; denique *Leviathan, sive de materia, forma, & potestate Civitatis Ecclesiasticæ & Civilis.*

III. Ad ingenium auctoris hujus quod attinet, Herbertiano perquam id in multis est simile. Nam ut iste novis suis inventis, quæ jactat, magnopere se effert, aliosque eruditos superbe præ se contemnit, ita non minus ille. Scribens videlicet Hobbes ad Samuelem Sorberium, eique suum de Aeris natura dialogum offerens, *Conveniant*, ait de societate Philosophorum, singulis hebdomadibus in Collegio Greshamensi ad promovendam scientiam naturalem convenientium, *studia conferant, experimenta faciant quantum volunt, nisi & principiis utantur meis, nihil proficient. Ignorato enim Motu, ignorari Naturam, recte censuit Aristoteles. Si ad scientias sufficeret Ingenium, nulla nobis scientia jamdudum defuisset. Nova enim hac Academia ingeniis abundat excellentissimis. Sed aliud est Ingenium, aliud Ars. Quæ per motum fiunt, eorum causæ per cognitionem motus investigandæ sunt. Quæ cognitio, Geometriæ pars nobilissima, hactenus intacta est; nisi quod hanc Ego viam illis, qui non ad victoriam conantur, sed ad veritatem, aliquatenus præivi.* & paulo post: *Certant mecum de Physica è Sociis Greshamensibus illi, quibus maximè creditur, & sunt quasi reliquorum Magistri. Exhibent machinas novas, ut Vacuum suum, & miras ostendant nugas: quemadmodum faciunt qui circumagunt animalia exotica, spectanda non sine pretio.* Similiter ipsius dialogi pagina 13. *Motus hic restitutionis*, inquit, *Hobbii est, & ab illo primo & solo explicatus in Lib. de Corpore, Cap. 21. Art. 1. Sine qua hypothesi quantuscunq; labor, ars, sumptus, ad rerum naturalium invisibiles causas inveniendas adhibetur, frustra erit.* Quantum etiam supercilium præ se ferunt quæ scribit, commentarium de principiis & ratiocinatione Geometrarum ipsi dicans, ad Henricum Bennet, Ba-

ronem de Arlington: *Eorum qui de iisdem rebus mecũ aliquid ediderunt, aut solus insanio ego, aut solus non insanio!* &, præfatus in Elementa Philosophica, ad Guilielmum Comitem Devoniæ: *Physica res novitia est: sed Philosophia Civilis multò adhuc magis; ut quæ antiquior non sit (dico lacessitus, utq; sciant se parum profecisse obtrectatores mei) libro quem de Cive ipse scripsi. Quid autem? Nulline erant Philosophi apud Græcos antiquos, neq; Physici, neq; Civiles? Fuere certe qui sic appellabantur; teste Luciano, à quo irrisi, testibus nonnullis civitatibus, unde edictis publicis sæpius sunt expulsi. Sed non ob eam rem necesse est fuisse Philosophiam.* Vide Felleri Histor. Univers. p. 578.

IV. Nimirum Hobbius est, siquidem ipsius judicio standum, de quo jure usurpes istud Poëtæ:

Ille sapit solus; reliqui velut umbra vagantur.

Quamquam, ut solemus in propria causa suspecti aut cœci etiam esse judices, viri docti alii longe diversum de nova Thrasonis hujus Philosophia pariter & Theologia sentiant, ipsi nominatim sympatriotæ ejus, Sethus Wardus, Ricardus Cumberland, & Joannes Templerus. Cui postremo de prostrato in Idea Theologiæ Leviathanis Hobbianismo hoc cecinit ἐπινίκιον Car. Robotham, Norfolciensis:

Quis hic Colossus, qui tremendis faucibus
Immane hians, porrectus immensùm jacet,
Vomituq́; turpi, fœda ructans dogmata,
Utrumq; & hinc & inde littus polluit?
Malmsburiensis Hydra, pelago lusitans
Grandis Leviathan, & Gigantæus Draco,
Informe monstrum, Belluaq; Britannica,
Usq; adeò, ad instar Africæ, hic & angulus
Subinde nobis aliquid apportat novi.
Sed, gratia Superis! pari passu ambulat
Noxa & Medela: Aten citò sequuntur Litæ:

Accidit

Accidit Hydræ Hercules ſuus : eadem Inſulæ
Quæ dederat ortum Monſtro, & interitum dedit,
Subigitq; protinus, ipſa quæ peperit, malum.
Sic peſtis improbæ Pelagianæ luem
Labemq; ſuſtulit Bradardini manus.
Sic jam Co-inſularis itidem Hobbeſii
Pythona, jaculis mille confoſſum dedit
Templeriana dextra, Pythii æmula.
En, quàm labaſcit ictus, horrendùm gemens,
Tenuisq; vaſtum cor Myurus occupat!
Lethale pharetræ virus en ut intimas
Sorbet medullas corruentis Belluæ!
En, quam deartuata penitus, & ultimam
Halans Mephitim purulento è gutture,
Spiſſo cruore lata tingit æquora!
Tanti Triumphi glorioſa laurea
Tua (plurimùm Colende) prenſat tempora.
En, quàm citatis paſſibus, quanto agmine,
Adorearum cumulo ovantem proſequi
Feſtinat ingens Gratulantium Chorus.
Aræ, focique, humana, divina omnia,
Verenda Trinitas, Deus, Animæ, & Angeli,
Natura, Gratia, Civitas, Eccleſia,
Eccleſiæq; peculium (Regimen, Fides,
Ordo, poteſtas Clavium, Leges, Canon,
Concilia, Synodi, Martyres, Miracula,
Reditus, Scholæ, Lycea, Phrontiſteria,
Sedes Supernæ) & quidquid uſpiam eſt ſacri
Vel Chriſtiani nominis, Te σύμμαχον
Verique πρόμαχον, Te ſalutant vindicem.

At tu, nefandûm Propalator dogmatum,
Insanientis editor sapientiæ;
Fatalitatis impiæ Præco & Pugil,
Insipide materiati Adorator Dei,
Monocondyli Fabricator inclyte Symboli,
Fidei Novator improbe, veterum hæresûm
Interpolarum Mango nugivendule,
Sartor Satorq; falsitatum strenue!
Descende cathedra, & Spongiæ deletili
Incumbito, blasphemiarum desinens.
O te beatum, falsa si tandem sciæs
Mutare veris! Bis at o miserum, si neges!

v. Ad superiora vero ut revertamur, sicut φιλαυτία animique elatione Herberto Hobbius non cedit, ita neque zelo evertendi Religionem Christianam, ejusque fundamenta concutiendi. Quamquam non eodem modo ut ille, sed plane diversa ratione impium istud negotium aggrediatur. Etenim quum Herbertianæ Theologiæ πρῶτον ψεῦδος sit, nihil ut certum indubitatoque verum in Religionis causa admitti oportere nisi quod Sensuum Rationisque humanæ judicio, & Universali omnium, qui quidem sanæ mentis sunt, Consensu comprobetur, Hobbius contra, Rationi & Consensui tam parum tribuens, ut ne quidem, Deum esse, ex Naturæ lumine omnibus mortalibus constare, aut constare posse, palam doceat (vide librum de Cive cap. XIV, 19. in Annotat. & confer cap. XIV, 15. XVI, 1.) a Potestatis Civilis arbitrio Religionis summam suspendit, & illo solo heic acquiescendum, eique rationem humanam absolute submittendam esse disputat. Quod cum adeo portentosum sit dogma, ut sano homini in mentem venire id potuisse, vix sibi persuasurus sit lector, operæ pretium fuerit, quod revera primarium hoc sit universæ Hobbianæ Theologiæ fundamentum, ex scriptis ejus paulo curatius ostendere. VI. An-

VI. Ante omnia itaque notetur heic locus ex Leviathane, cap. XXXIII; ubi de Scripturæ sacræ auctoritate disputans Hobbius, *Quatenus*, ait, *non differunt Scripturæ à Legibus Naturæ, dubium non est, quin sint Leges Dei, auctoritatemq; habent omnibus qui ratione naturali præditi sunt manifestam. Sed authoritas hæc alia non est, quàm quæ doctrinæ omni morali, si vera sit, attribuenda est. Si Leges à Deo ipso factæ sint, nempe leges divinæ positivæ, nulla accedente authoritate humanæ, illis solis Leges sunt, quibus Deus ipsas ita promulgavit, ut nulla illis per ignorantiam relinquatur excusatio. Illi igitur, quibus Deus non revelavit supernaturaliter, quòd Scripturæ ab illo sint, vel eos, qui illas prædicant, ab eo missos esse, nulla, ut eas recipiant, authoritate obligantur, præterquam ejus qui summam habet in civitate potestatem. Is enim Legislator solus est. Rursus, si authoritas Civitatis non sit quæ Scripturas facit esse Leges, authoritate aliquâ aliâ vel privatâ vel publicâ id fiet. Si privatâ, is solus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas supernaturaliter pro Legibus dictavit. Nam si unusquisq; pro Legibus Divinis habere obligaretur quicquid aliquis prætextu Inspirationis vel Revelationis obtruderet (in tanto hominum numero, per arrogantiam, vel ignorantiam, somnia, phantasmata, insaniamq;, pro Spiritus divini testimoniis accipientium, vel per ambitionem falsò jactitantium) impossibile esset ut leges ullæ pro Divinis agnoscerentur. Sin Scripturæ Leges fieri non possunt sine authoritate publica, authoritas illa Civitatis erit, vel Ecclesiæ.* Atque ita porro, quod Ecclesiæ esse nequeat, ostendere satagit, ut obtineatur, esse Civitatis, sive ejus penes quem summa in civitate potestas est.

VII. Videlicet, quemadmodum Herbertus, in Scripturæ sacræ scrutinio Notitias Communes, quas vocat, sive ea quæ ex Naturæ lumine omnibus nota, separare jubet ab his quæ ex Revelatione accessisse Christiani credunt; & illa ut indubitato certa omnibus amplectanda docet; ista vero non nisi hac lege admittenda, si *atte*stantem habeant aliquam nostram facultatem,* hoc

est

est, si sensuum intellectusve naturali judicio approbentur (vide sect. 1, 22.) ita Hobbius, similiter quæ ex se manifestæ veritatis sunt in Codice Biblico, a ceteris non æque natura sua cognitis secernens, illa per se apud universos homines auctoritate valere docet; ad hæc vero recipienda neminem obligari nisi auctoritate ejus qui summam in civitate potestatem obtineat: solos illos si excipias quibus supernaturaliter talia Deus revelavit; immediate puta. Nam uti secundum Herbertianam Theologiam Revelatio proprie non datur nisi respectu ejus cui ipsi immediate aliquid divinitus patefactum (vide sect. 1, 15.) sic idem tenere Hobbium, clare monstrant quæ leguntur in Leviathane cap. XXXII: *Alloquitur homines Deus aut immediatè, aut alterius hominis, cui immediatè loquutus ante erat, mediatione. Quomodo hominem immediatè alloquatur, intelligi forte potest ab iis, quos ita alloquutus est; sed idem ut ab alio intelligatur, si non impossibile, certè difficillimum est! Nam si quis mihi diceret, Deum sibi supernaturaliter & immediatè loquutum esse, dubitanti, an id verum esset, non facilè intelligo, quibus argumentis mihi fidem faceret.* & paulo post: *Quanquam in somnio, in visione, per vocem, & per inspirationem, hominem alloqui potest Deus omnipotens, dicenti tamen, Deum sibi ita loquutum esse, credere obligatur nemo, homini scilicet, qui & errare, & (quod pejus est) mentiri potest.* E quibus testimoniis & illud patet, sicut de Herberto supra sect. 1, 17. monuimus, etiamsi prima fronte videatur non omnem Revelationis certitudinem negare, sed eorum dumtaxat intuitu quibus non est immediate doctrina aliqua divinitus manifestata; si tamen paulo attentius asserta ejus considerentur, quod ne ipsi quidem Prophetæ & Apostoli suis revelationibus citra deceptionis periculum fidere potuerint, omnino illum statuere: ita de Hobbio, eodem, si non potiori jure, illud ipsum dicere licere. Eo nimirum tendit, quod ait: quomodo hominem immediate DEUS alloquatur, intelligi FORTE posse

posse ab iis quos ita alloquutus sit; item, qui Deum sibi loquutum esse dixerint, homines fuisse qui ERRARE potuerunt.

IIX. Sed subjiciemus adhuc alia nonnulla quæ eamdem in rem dicto loco habet Hobbius. *Quibus*, inquit, *Deus loquutus est in Scripturis sacris, non immediatè loquutus est, sed per Prophetas; idq; omnibus æqualiter. Qui Deum in Somnio ad se loquutum esse dicit, Deum ad se loquutum esse, somniasse se dicit. Somnia autem aliena pro Verbo Dei nemo accipiet; præsertim si somnia maxima ex parte naturalia esse, & ab arrogantia & superbia somniantis procedere posse sciat. Qui Visionem à Deo vidisse, aut Vocem audisse se dicit, somniasse credetur: sæpe enim & facile vanis & imperitis hominibus somnia illudunt. Qui supernaturaliter inspiratam sibi esse à Deo doctrinam aliquam novam dicit, sapientibus ingenii sui admiratione insanire intelligetur.* Nolo transscribere quæ porro sequuntur impia & blasphema; nec hæc quidem recitaturus, ni ad frangendam eorum extremam pertinaciam facerent, qui, nimio Hobbii amore fascinati, nihil in ejus scriptis occurrere quo Prophetarum & Apostolorum auctoritati detrahatur, persuasum sibi habent, certe persuadere aliis conantur.

IX. Hi ergo ut rubore suffundantur, superioribus placet adjicere quæ nominatim de magno illo Dei servo Mose, ad divinam ejus auctoritatem evertendam, sane dubiam & suspectam reddendam, Leviathanis capite XL. leguntur: *Non, ut* Mosi Israëlitæ *obedirent, jussit Deus. Nec enim illos alloquutus est nisi mediante Mose ipso. Dicit autem Christus (Joh. 5, 31.) Si testimonium dico de me ipso, testimonium meum non est verum. Authoritas ergo Mosis, sicut Authoritas ceterorum Principum omnium, fundari debuit in consensu populi promittentis obedientiam.* & capite XLII: *Quoniam Lege obligari potest nemo, qui nescit, an à Rege lata sit, nec ne; quomodo obligari potuit populus Israëliticus ad præstandam omnibus Legibus Mosaicis obedientiam, qui, ne ad montem Sinai accederent, & quid*

Mosi Deus locutus est, audire prohibiti fuerant? Ad quod respondeo: Legum illarum aliquas, nempe Tabulam secundam, Leges naturales divinas æternas esse, & per se obligare. De Tabula prima difficilis fortasse fuisset responsio, nisi populus seipsos ad obediendum Mosi obligasset, his verbis (Exod. 20, 19.) Loquere tu nobis, & audiemus: sed ne loquatur nobis Deus, ne moriamur. Utque appareat, quo loco apud Hobbium sint Prophetæ generatim, & quam non pro viris θεοπνεύστοις eos habeat, notetur, qui omnium instar heic esse potest, locus ex fine capitis XL Leviathanis: *Cum Jus Regum manifestum sit, & populus, atq; etiam aliquando ipsi PROPHETÆ ID NON INTELLIGANT, jura Regum exemplis ductis ab ignorantia populi, vel à doctrina Prophetæ oppugnari iniquum est.*

X. Sed & spectant huc quæ Elementorum Philosophiæ sectione II, cap. XIV, §. 4. idem habet Hobbius: *Circa res supernaturales nemini credimus nisi quos prius factum aliquod fecisse supernaturale credimus. Dicenti autem alicui, ea quæ dicit vel docet confirmata miraculis esse, quomodo credi potest, nisi & ipse miraculum ediderit? Nam si homini privato sine miraculo credendum sit, cur diversa docentium uni magis quam alteri? Religionis ergo nostræ pars maxima & Deo gratissima Fides, ab hominibus privatis, nisi faciant miracula, dependere non debet. Si Religio (præter eam quæ consistit in Pietate naturali) ab hominibus privatis non dependeat, tunc necessarium est (cessantibus jamdudum miraculis) ut dependeat à Legibus civitatis. Religio itaq; Philosophia non est, sed in omni civitate Lex; & propterea non disputanda est, sed implenda.*

XI. Per homines privatos auctor intelligit quoscumque in civitate sic agentes, ut penes ipsos non sit summa potestas, sive (ut alias loquimur) majestas. Hos igitur, cujuscumque tandem sint conditionis, in religionis negotio audiendos esse negat, ni miraculis fidem sibimetipsis fecerint; etiamsi quæ docent, olim miraculis firmata esse dicant. Etiamsi, inquam, Theo-

Theologi & Concionatores capita religionis ut immoto assensu complectenda proponant, tamquam dogmata, quorum divina veritas miraculis olim confirmata fuerit, tamen, ex Hobbii sententia, pro talibus illa agnoscere non tenemur, nisi miraculis ante sibimet auctoritatem concilient Doctores; quumque ea hodie cessent, alio loco habenda non sunt, secundum novam ipsius sapientiam, dogmata religionis, quam quo leges habentur positivæ in republica, quarum vis & auctoritas omnis a potestate civili pendet.

XII. Atque hinc diserte docet auctor libro de Cive cap. XVII, 27. quod *Scripturæ sacræ interpretatio, hoc est, jus Controversias omnes determinandi, dependeat & derivetur ab autoritate illius hominis, vel cœtus, penes quem est summum imperium civitatis.* Eamq; auctoritatem tantam esse vult, ut in rebus abstrusissimis quoque & obscurissimis, ipsis imo facti quæstionibus (uti vocant) simpliciter illi sit acquiescendum, nosterque intellectus eidem absolute submittendus. Quam in rem notari meretur præ ceteris locus Leviathanis cap. XXXVII: *Etiam Miracula, quæ prætenduntur doctrinis, debemus videre ipsi, &, quantum possumus, excutere, & examinare, & secundum rationem Publicam, id est, secundum rationem ejus qui summam habet in civitate potestatem, de veritate Miraculi judicare. Exempli gratiâ, si quis dicat, quod post certa verba ab ipso prolata super buccam panis, non sit amplius Panis, sed Deus, vel Homo, etsi oculis, ut ante, Panis videatur; causa nulla est, cur quis ita factum realiter esse putet, neq; illum timeat, donec à Deo per illum, qui locum ejus in civitate tenet, utrum realiter factum sit nec ne, inquisierit. Et siquidem ille negat, tunc sequitur id quod à Mose dictum est Deut. 18. 22. Temerè loquutus est, non timebis illum; sin factum esse realiter dicat, acquiescendum est. Item in miraculis, quæ non vidimus facta, sed fama tantum audivimus, consulenda est Ecclesia Civitatis, id est, is qui summam in ea habet potestatem, quousque famæ authoribus credendum sit.*

XIII. Gemina his sunt quæ habentur libro de Cive cap. XV, 18. *Si quæratur: an obediendum civitati sit, si imperet aliquid dici, vel fieri, quod non est directè in Dei contumeliam, sed ex quo per ratiocinationem consequentia contumeliosæ possunt derivari; veluti si imperetur Deum colere sub imagine, coram iis qui id fieri honorificum esse putant? Certè faciendum est. - Quamquam enim hujusmodi imperata possunt esse interdum contra rectam rationem, ideoq; peccata in iis quæ imperant, non tamen sunt contra rectam rationem neque peccata in subditis; QUORUM IN REBUS CONTROVERSIS RECTA RATIO EST EA QUÆ SUBMITTITUR RATIONI CIVITATIS.*

XIV. Quid? quod ipsam Scripturæ sacræ canonizationem civili quoque potestati non semel tribuit Hobbius. Nimirum Leviathanis cap. XXXIII ait, *libros illos solos Canonicos, id est, Leges esse in unaquaq; civitate, quæ summi Imperantis authoritate latæ sunt.* (ubi stylo perplexo, ut sæpe alias, animi sensa auctor exprimit. quid enim est, quæso: *libros illos solos Canonicos esse, quæ summi Imperantis authoritate latæ sunt?*) & cap. XLII, *Potestas*, inquit, *per quam Decalogus factus est in Legem Civitati Israëliticæ, erat penes Mosem, & post illum, penes Sacerdotem summum, qui erat civitatis summus Imperans. Hactenus ergo Scripturæ sacræ canonizatio ad eum pertinuit qui summam in civitate potestatem habuit civilem.* Nec aliter Regum & Esdræ temporibus se rem habuisse, paulo post asseverat; ac deinde, *Testamentum Novum*, scribit, *in iis locis tantùm Lex est, in quibus ita à summa potestate civili facta est.* Videlicet ut leges positivæ non universos homines, sed uno regno unave civitate sociatos tantum obligant, eoque νόμοι ἴδιοι, *leges propriæ*, Aristoteli Rhetor. lib. I, cap. X & XIII, dicuntur: ita libros quoque Biblicos latius non valere vult Hobbius, quam qua patet potestas ejus civilis qui recipiendos illos proque divinis habendos sanxit. Quo etiam spectat quod paulo post antè recitata verba ait: *Eos qui doctrinam Christi recipere noluerunt, eo nomine peccavisse*

caviſſe nusquam legimus; ſed hoc tantum, in peccatis ſuis mortuos fuiſſe, i. e. peccata eorum contra Leges, quibus obedire debuerunt, remiſſa non fuiſſe: nimirum peccata eorum contra Leges Naturæ, & contra Leges Civiles ſuæ cujusq; civitatis retenta fuiſſe. Verbum quidem Dei pro Lege habere obligantur homines univerſi; ut autem pro verbo DEI reciperent quicquid in Dei nomine ab homine mortali pronunciaretur, aut quod Legibus civilibus, quas cuſtodiendas eſſe Deus juſſit, contrarium doceretur, obligati non erant.

XV. Quæ poſtrema inprimis, ut cum cum antiquis Ethnicis Hobbius conſpiret, manifeſto oſtendunt. Apud hos videlicet atrox erat crimen, maximeque Legibus, etiam ſub capitali ſupplicio, prohibitum, in iis quæ ad Religionem ſpectabant, aliquid innovare. Inter ipſas Romuli leges, prout a Franc. Balduino ſunt editæ, ſeptima eſt: *Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.* & Cicero, libro II. de Legibus, tamquam a veteribus accepta hæc recenſet: *Separatim nemo habeſſit Deos, neve novos: ſed nec advenas, niſi publice adſcitos, privatim colunto.* Atque hinc Livius, libro XXV, cap. I, memorat, quum, belli tempore, externa religio urbem inceſſiſſet, ritusque Romani cœpiſſent contemni, primo ſecretas bonorum indignationes fuiſſe exauditas, deinde ad Patres etiam & ad publicam querimoniam rem exceſſiſſe; incuſatis graviter ab Senatu Ædilibus Triumvirisque capitalibus, quod non prohiberent: tandem M. Æmilio, Prætori urbis, negotium ab Senatu datum, ut novis religionibus populum liberaret. Adde quæ idem habet lib. XXXIX, cap. XVI, & Valerius Maximus lib. I, cap. IV, Dionyſius Hallicarnaſſeus cap. II, Paulus JCtus Sententiarum receptarum libro V, tit. XXI. cujus verba: *Qui novas & uſu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honeſtiores deportantur, humiliores capite puniuntur.* Porro Joſephus libro II contra Apionem teſtis eſt, apud Perſas quoque multos ob peregrinæ reli-

gionis causam suppliciis acerbissimis affectos; & Scythas ex Græcia reversum Anacharsim suum interemisse. Græcorum Deos colentem; denique de Athenienſibus annotat, quod mulierem quamdam Sacerdotem ob exterorum Deorum cultum interfecerint, capitisque decreverint supplicium, si quis peregrinum aliquem Deum introduceret. Confer Actor. XVI, 19. seqq. XVII, 18. seqq. Justinum M. Apologia ad Antoninum Pium, Origenem lib. I adversus Celsum, Eusebium lib. VI Præparat. Evangel. Cyrillum Alex. lib. VI contra Julianum.

XVI. Nempe credebant viri Politici, mutationem Religionis ipsarum quoque Legum & morum a majoribus traditi mutationem afferre. Unde Symmachus, Paræneſi ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium, ubi Romam introducit pro recepto idolorum cultu declamantem, eam sic inter alia loqui facit: *Nemo me putet solam causam Religionum tueri. Ex hujusmodi facinoribus* (mutatione sacrorum) *orta sunt cuncta Romani generis incommoda.* Et Mæcenas, consilia, quibus admissis, feliciter imperaturus esset, Augusto suggerens, apud Dionem Cassium libro LII, inter alia, τὸ μὲν θεῖον, inquit, πάντη πάντως αὐτός τε σέβου καὶ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε· Τοὺς δὲ δὴ ξενίζοντάς τι τοῖς αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλο ἄν τι θρησκεύσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ πολλοὶ αὐτοῖς σφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτρίους νόμων· κἀκ]ὲτεῦθεν καὶ συνωμοσίαι καὶ συστάσεις ἑταιρειῶν γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει, *Deos semper & ubique ita cole, ut moribus patriæ receptum est, ad eundemque cultum alios compelle. Peregrinarum vero religionum auctores odio & suppliciis prosequere: non Deûm modo gratia, quos qui contemnit, haud dubie nil aliud quoque magni faciet; sed propterea etiam, quod, qui nova Numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pelliciunt. Inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, quæ nullatenus Monarchiæ commoda.*

XVII.

XVII. Quum proinde propositã ab Apostolis virisq; Apostolicis CHRISTI doctrinam cupidissime olim amplecterentur nationes, ut legum patriarum violatores, hominesq; factiosi & rebelles, traducebantur, gravissimasq; hoc nomine persecutiones ab idolorum cultoribus sustinebant. Ita Eusebius, sub initium libri IV Præparat. Evangelicæ, Paganos affirmare ait, Ἡμᾶς τὰ μέγιστα ἀσεβεῖν τὰς οὕτως ἐμφανεῖς καὶ εὐεργετικὰς δυνάμεις ἐν οὐδενὶ λόγῳ τιθεμένους ἄντικρυς δὲ παρανομοῦντας δέον σέβειν ἕκαστον τὰ πάτρια, μηδὲ κινεῖν τὰ ἀκίνητα, στοιχεῖν δὲ καὶ ἐφέπεσθαι τῇ τῶν προπατόρων εὐσεβείᾳ, ἀλλὰ μὴ πολυπραγμονεῖν ἔρωτι καινοτομίας. Ταύτῃ γοῦν φασιν ἐπαξίως καὶ θάνατον ὑπὸ τῶν νόμων ὡρίσθαι τοῖς πλημμελοῦσι τὴν ζημίαν, *impie nos facere, qui tam manifestas & beneficas virtutes* (Deos) *contemnamus, leges patrias transgredientes, quas oporteat unumquemq; servare neq; movere non movenda, ingredi autem & sequi majorum pietatem: præsertim cum a legibus capitalis pœna adversus eos decernatur, qui secundum leges & consuetudines Deos non venerantur.* & in edicto, quod in Historia Eusebii Ecclesiastica, lib. IIX, cap. XVII, recitatur, Gentilium Imperatorum de Christianis hæc sunt verba: Τίνι λογισμῷ τοσαύτη αὐτοὺς πλεονεξία κατεσχήκει καὶ ἄνοια κατειλήφει, ὡς μὴ ἕπεσθαι τοῖς ὑπὸ τῶν παλαικαταδειχθεῖσιν, ἅπερ ἴσως πρότερον καὶ οἱ γονεῖς αὐτῶν ἦσαν καταστήσαντες· ἀλλὰ κατὰ τὴν αὐτῶν πρόθεσιν, καὶ ὡς ἕκαστος ἐβούλετο, οὕτως ἑαυτοῖς καὶ νόμοις ποιῆσαι, καὶ τούτους παραφυλάττειν, καὶ ἐν διαφόροις διαφορα πλήθη συνάγειν, *Tanta eos arrogantia ac temeritas veluti ex consensu quodam invaserat, ut majorum institutis, quæ fortasse ab ipsorum parentibus sancita fuerant, minime acquiescerent; sed singuli pro arbitratu suo ac libidine leges sibiipsis constituerent, easq; observarent, & in diversis sectis atq; sententiis diversos cogerent cœtus.* Eodem spectat, quod Christiani *nefariæ conspirationis homines* audiunt Galerio maximo Proconsuli, in Actis passionis Cypriani; *homines deploratæ factionis*, & *plebs profanæ conjurationis*, Cæcilio apud Minucium Felicem, *plebs rebellis*, apud Prudentium, in Romano, hymn.

XIV,

XIV, 62. Videatur & Tertullianus in Apologetico passim, inprimis cap. XXXIIX, seqq. Origenes item adversus Celsum libro III.

XIIX. Violentam isthanc Factionis suspicionem quo pacto a se depulerint Christiani primævi, e priscis fidei nostræ Apologetis notum est. At si Hobbius ea vixisset ætate, contra Christianos omnino pronunciasset, pro verbo Dei recipientes quod legibus civilibus docebatur contrarium, & ad quod recipiendum ideo non erant, ex ejus quidem sententia, obligati. Legibus namque Gentilium civilibus, vel, quod idem est, præscripto a legibus illis cultui publico, adeo non erat conformis Religio Christiana, ut pro mero etiam Atheismo Pagani hanc haberent; velut libro de Calumniis Gentilium cap. IIX, & commentario in Justinum Martyrem pag. 30. 85. ostendimus. Factiosi igitur, Hobbii si standum judicio, veteres fuerunt Christiani; seditiosa fuit e cœtu illo, v. gr. Virgo Eulalia; quam sic loquentem introducit Prudentius, hymno IX, 71.

Quæritis, o miseranda manus,
Christicolum genus? En, ego sum
Dæmonicis inimica sacris.
Idola protero sub pedibus,
Pectore & ore Deum fateor.

& de qua, blandis a Præside verbis ad sacrificandum invitata, hæc paulo post habet:

Infremit, inque Tyranni oculos
Sputa jacit: simulacra dehinc
Dissipat; impositamque molam
Thuribulis pede prosubigit.

Nec horrere novum hunc Theologum conceptis verbis seditiosæ doctrinæ Christianismum postulare, monstrat locus in libro de Cive cap. XII, 6. *Vulgo docetur, Fidem & sanctitatem non studio*

ſtudio & ratione naturali acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter hominibus infundi vel inſpirari. Reditur igitur ad cognitionem privatam boni & mali, quæ concedi non poteſt ſine civitatum diſſolutione. Cujus paragraphi ſumma in margine ſic exprimitur: *Fidem & Sanctitatem non ſtudio & ratione acquiri, ſed ſemper naturaliter infundi & inſpirari, SEDITIOSA OPINIO. Quam marginalem notam ipſum Hobbium habere auctorem, ex præfixa libro de Cive; Gaſſendi ad Sorberium epiſtola liquet* vide infra num. XXVII. Non poſſum quin adjiciam, quæ ſub ejusdem paragraphi finem habentur, Chriſtianum (ſcilicet!) auctoris ingenium prodentia. *Nata eſt*, inquit, *ab inſanis hominibus* illa opinio, *qui ſcripturarum lectione copiam verborum ſacrorum nacti, ita ea concionando connectere ſoliti ſunt, ut eorum oratio nihil ſignificans imperitis tamen hominibus divina videatur. Cujus enim ratio nulla, oratio divina apparet, is neceſſario divinitus videbitur inſpiratus.*

XIX. Sed redeamus ad propoſitum. Oſtenſum eſt ſupra, quod, ſecundum Hobbii doctrinam, in religionis negotio intellectus humanus abſolute ſubmitti debeat ſummæ poteſtatis civilis dictaturæ. Suntque eam in rem præ ceteris obſervanda illa ejus verba, num. X. exhibita: *Religio Philoſophia non eſt, ſed in omni civitate Lex; & propterea non diſputanda eſt, ſed implenda.* item iſta, quæ recitavimus num. XIII: *Subditorum in rebus controverſis recta ratio eſt ea quæ ſubmittitur rationi Civitatis.* Operæ vero pretium eſt, ſpectare, quomodo & hæc cum Gentilium ſcitis placitisque concordent. Ut igitur de Religione diſputandum non eſſe, nec ibi rectam rationem audiendam, docet Hobbius; ad eundem modum jam olim, apud Tullium libro III de natura Deorum, dicebat Cotta: *Non me ex ea opinione, quam à majoribus accepi de cultu Deorum immortalium, ullius umquam oratio, aut docti aut indocti, movebit*; Balbumque ſic affabatur: *A te Philoſopho rationem accipere debeo Religionis; majoribus autem noſtris, etiam*

nulla ratione reddita, credere. Quem locum ex Cicerone repetens Lactantius, Instítut. libro II, cap. VI, *Hæ*, inquit, *sunt Religiones, quas, sibi à majoribus suis traditas, pertinacissime tueri ac defendere perseverant* Ethnici: *nec considerant, quales sint; sed ex hoc probatas atq; veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt: tantaq; est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam, scelus esse ducatur. Itaq; creditur ei passim tamquam cognitæ Veritati.* Quomodo & libro V, cap. XIX, de iisdem Paganis ait: *Inhærentes persuasioni vulgari, libenter errant, & stultitiæ suæ favent. A quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possunt reddere, sed ad majorum judicia confugiunt: quod illi sapientes fuerint, illi scierint, quid esset optimum: seque ipsos sensibus spolitant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt.* Ex quibus apparet, convenire in eo Hobbii veterumque Ethnicorum sententias, quod, ubi de Religione res est, ab alieno, eoque mere humano, pendere oporteat arbitrio; & in hoc solum aliquid esse discrepantiæ, quod ille summæ potestatis civilis, isti majorum auctoritate omnia heic metiantur. Tametsi duo ista non sint ita semper diversa, quin aliquando possint coincidere.

XX. Ut vero rectius adhuc Hobbianæ Theologiæ assequaris mysteria, explicari meretur aliquanto distinctius, quid sit ipsi, in rebus ad Religionem pertinentibus intellectum summæ potestatis civilis nutui submittere? Id igitur perspicue docet Leviathanis cap. XXXII, *Quoties*, scribens, *in locum aliquem difficiliorem, quàm ut à nobis examinari possit, inciderimus, intellectum nostrum verbis ipsis, sine examine Philosophico, (propter mysteriorum divinorum incomprehensibilitatem) debemus subjicere & captivare. Mysteria enim, ut pillulæ, quas morbo laborantibus præscribunt Medici, si deglutiantur integræ, sanant; mansæ autem plerumq; revomuntur. Subjectio autem intellectus non ita intelligitur, ac si teneretur aliquis alicujus alterius sententiæ consentire: nam Sensus, Memoria, Intellectus, & ratio nostra, in*

in potestate nostra non sunt; sed tales sunt, quales res ipsæ necessario in nobis efficiunt. Intellectum tunc subjicere dicendi sumus, quando illis, quorum est de doctrina statuere, (iis puta, penes quos summa in civitate potestas) *non contradicimus.*

XXI. Videlicet ex Hobbii sententia piaculum minime est, magistratui ut obtemperes, concedere aliquod religionis dogma, verbisque externis profiteri tamquam verum, cui tamen internum assensum nullo modo præbeas: sed id recte omnino fieri, docet libro de Cive cap. XIIX, 4.6.14. Quo postremo loco asserit, quod, *excepto uno articulo, JESUM ESSE CHRISTUM, qui necessarius* sit *ad salutem de fide interna, cæteri omnes pertineant ad obedientiam tantum: quæ quidem præstari potest,* inquit, *etsi quis non internè credat* (*modo cupiat credere, & externe profiteatur, quoties opus est*) *quæcunque ab Ecclesia proponuntur,* hoc est, (ut *Ecclesiæ* vocem explicat auctor Leviath. cap. XXXVII.) ab eo qui summam habet in Ecclesia potestatem. Quem vero heic excipit unum interna fide credendum articulum, de eo in Leviathane, cap. XLII, hæc habet: *Quid* (*inquiet aliquis*) *si Rex, vel Senatus, aut quicunque summam in civitate habet potestatem, credere in Christum prohiberet? Respondeo, prohibitionem talem frustrancam ideo esse, quia credere & non credere non sequuntur imperata hominum, qui, an credamus nec ne, scire non possunt, nec, si scirent, mutare. Fides est donum Dei,* (qui vero? certe non donum Dei *supernaturale*: nam id seditiosum vocat dogma, loco supra num. XIIX. expresso) *quam promissis præmiis aut pœnarum comminatione neque dare neque tollere potest homo. Si porro quæratur: quid si jubeamur a Principe nostro legitimo dicere, quod non credamus, obediendumne est? Respondeo, vocem hominis rem externam esse, neq; significare obedientiam proferentis posse magis, quam alius quicunq; gestus corporeus; & Christianum hominem in rebus hujusmodi, si corde in Christum credat, eandem habere libertatem, quam concessit Naamano Syro Propheta Elisha. Naamanus hic credidit in*

corde Deum verum; adorando autem videri voluit non credidisse, ne offenderet Regem suum. Quasi vero id in textu II. Reg. v, 18. diceretur! E quo, si vel maxime de rei futuræ indulgentia (non, ut a multis fit interpretibus, præteriti peccati venia) exponas, nondum extorquebis quod vult Hobbius: quum potuerit utique externum hoc & Politicum servitium ita præstare Naaman, ut, in honorem idoli Rimmonis nihil heic a se fieri, & Regi, & omnibus aliis spectatoribus, candide significaret, adeoque in re tanti momenti nihil simularet aut dissimularet.

XXII. Sed audiamus porro Hobbium. Postquam is objecisset sibi verba Domini: *Quicunque negat me coram hominibus, ego negabo illum coram Patre meo, qui est in cœlis*, Matth. x, 33. *Respondebimus*, ait, *illum qui subditus est, ut erat Naamanus, & à Rege suo ad aliquid, QUODCUNQUE ID SIT, facere coactus est, ita ut non sponte sua, sed in ordine ad obedientiam legibus patriis faciat, factum illius non esse, nec illi imputandum; sed Regis, id est, Civitatis, factum esse, & Legibus imputandum; neque illum esse, sed Regem suum, qui negavit Christum.* Quæ Theologia si nota fuisset & credita priscis illis Ecclesiæ primævæ Martyribus, nimis sane fuissent vitæ suæ prodigi, quod mille mortes obire, & exquisitissima quævis perpeti tormenta, quam CHRISTUM Dominum suum abnegare, maluerint. Uti etiam hoc non negat homo profanus, scribens memorato loco, Martyres tales, si forte præmium exspectatum non acceperint, conqueri jure haud posse, ut qui ob eam rem mortem pati non fuerint obligati.

XXIII. Quam vero ignotus fuit, quem dixi, Hobbianismus doctrinæ praxique veterum Christianorum, tam scite eumdem expresserunt Gentilium sapientes. Qui cum auctoritate publica receptæ Theologiæ Civilis absurditatem, impietatem, abominandamq; fœditatem, probe perspicerent, intellectum tamen suum ei submittebant, id est, ex Hobbii interpretatione, ei non con-

contradicebant: quod videlicet, ut supra notavimus, capitali pœna in illos animadvertere Leges juberent, qui juxta patrium morem Deos non venerarentur. Tametsi ignobilis hujus servitutis quodammodo ipsos puduerit, indeque, licet Deos cum vulgo in ore & calamo frequenter haberent, ita id excusare sint ausi, quod unus ille Deus, quem ex naturæ lumine cognoscebant, pluribus & diversis nominibus appellari possit ac soleat, ob varias virtutes, munera, & beneficia, ipsi inditis. Quam in rem diserte auctor libri de Mundo, qui sub Aristotelis nomine extat, cap. VII: ἑις δὲ ὢν, πολυώνυμός ἐστι, καπνομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς ἀνέχεται. & maximus ille Madaurensis, Philosophus ethnicus, cujus extat ad B. Augustinum epistola (est inter hujus Epistolas XLIII.) ubi asseruerat, *unum esse Deum summum*; statim subjicit: *Hujus virtutes, per mundanum opus diffusas, multis vocabulis invocamus.* In Seneca, libro IV. de Beneficiis cap. VII, IIX, hunc in modum exprimit: *Quoties voles, tibi licet aliter auctorem rerum nostrarum compellare. - Quæcunq; voles, illi nomina propria aptabis, vim aliquam effectumq; cœlestium rerum continentia. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod ab eo primum inventa seminum vis est, consultura per voluptatem; Herculem; quia vis ejus invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura; Mercurium, quia ratio penes illum est, numerusq;, & ordo, & scientia. - Sic hunc Naturam vocas, Fatum, Fortunam: omnia ejusdem DEI nomina sunt, varia utentis sua potestate.* Confer eundem libro II. Quæst. Natur. cap. XLV, & adde quæ in eandem sententiam habent vetus Poëta Hermesianax, Orpheus, Phocylides, Parmenides, Philemon, Xenophanes, Colophonius, Valerius Soranus, alii.

XXIV. Sed inprimis notari heic meretur, quod Hobbius docet, Scripturam sacram interpretandi auctoritatem ἀνυπεύθυνον penes

nes ſummum Chriſtianæ reipubl. magiſtratum eſſe, idipſum accurate reſpondere Turcarum ſententiæ: quos Imperatori ſuo jus interpretandi Alcoranum tribuere, Wenceslaus Budovvez, Baro a Budovva, Conſiliarius Cæſareus, in ſua Hiſtoria, quam Circulum Horologii Lunaris & Solaris inſcribit, teſtis eſt.

XXV. Quoniam opus illud, multa ἀξιομνημόνευτα complexum, in paucorum manibus eſt, operæ pretium facturi ſumus, opinor, ſi textum, unde teſtimonium iſtud petitum, integrum huc transferamus. Sic igitur ille habet, voluminis Hanoviæ anno clɔ lɔc xvi. excuſi pag. 173. *Incidi*, Conſtantinopoli in legatione ad Portam Ottomannicam agens, *in complures, præcipue Italos homines in Philoſophicis ſcriptis verſatiſſimos, & verbi DEI quoque non ignaros: qui ex famulitio Domini Augerii Busbekii, & Domini Davidis Ungnadii, Oratorum Cæſaris, qui ante nos Conſtantinopoli fuere, multos ſeduxerunt; & qui nobiſcum converſando, idem facere noſtratibus tentarunt: & præſertim iis, qui ex verbo Dei cum illis diſputare, & fabulas Turcicas refutare volebant. Ibi ſubtiliſſima quæq; argumenta (prout etiam nunc ea Chriſtiani quidam, proh dolor, publicis ſcriptis ſpargere & docere palam non verentur) in medium de incertitudine verbi DEI proferebant, dicentes: Si apud Chriſtianos firmiſſima, & quæ ſibi nullo modo eripi patiuntur, axiomata hæc ſunt: Vetus & Novum Teſtamentum, niſi ab Eccleſia Romana eſſet canonizatum, pro verbo DEI non habendum; imo, ſi Romana Eccleſia aliud quippiam in locum Veteris & Novi Teſtamenti ſubſtitueret, ei fidem adhibendam; Item, Romanam Eccleſiam omnes hæreticos hac ratione confundere, quod Romanæ Eccleſiæ major ſit numerus recte docentis, quam errantium hæreticorum; Item, quod in ea ſit unanimis conſenſus, ut in doctrina, ſic & in ritibus, apud hæreticos vero certamina & diſſenſiones; Item, quod apud Romanam Eccleſiam ſit obedientia erga ſummum caput, quod eſt Romanus Pontifex, ſed apud hæreticos confuſio: dum alii in alios invehuntur; Item, quod Romana Eccleſia unum caput habeat, quod eſt Ro-*

manus

manus Pontifex; at apud hæreticos, quot opiniones, tot sint capita. Hæc ergò, inquiunt Apostatæ ad Turcas profugientes, axiomata Christianorum si ad probandam Religionem Christianam valent, cur non æquè à Turcis, imò longe melius quàm à Christianis, ad probandam Religionem Mahometanam, Christianis objici possunt? & quidem hac serie: Noster Alkoran, in quo continetur quoq; Vetus & Novum Testamentum, à nostro summo Sacerdote, & ab universa Ecclesia Mahometana (quæ magnitudine sua longe superat Christianos) pro verbo DEI est declaratus, canonizatus, auctoritate adprobatus; & Vetus Novumq; Testamentum, de quo gloriamini, pro depravato & supposititio atque ficto declaratum. Si multitudine sua Romana Ecclesia Hæreticos, qui numero pauciores sunt, confundit, nos, qui & Romana Ecclesia, & omnibus aliis Christianis, longe plures sumus, omnes Christianos pro erroneis declaramus. Si de unanimi consensu Romana Ecclesia gloriatur, quæso, qui consensus dici potest, cum tot hæreses & dissensiones ex ea promanarint: ubi alii alios ad ima tartara condemnant, ita etiam tacentibus nobis suo ipsius proprio testimonio sit jam falsæ religionis convicta: & tamen omnes de vera fide gloriantur? At inter nos Mahometanos nulla dissensio, nisi de quodam interprete apud Persas: sed in doctrina & ritibus sumus concordes. Unde, inquiunt Turcæ, nos declaramus vos omnes Christianos discordes, tam illos qui se Catholicos dicunt, & Romano Pontifici parent, quam alios ab ipso separatos, pro erroneis, & viam salutis ignorantibus, & turbam Deorum, neglecto uno DEO, sequentibus. Si gloriamini in uno capite, & obedientia, quæ ei præstatur, certe nos longe magis. Nam & nobis unum caput est, & major erga illud obedientia: dum nemo Mahometanorum contra illud quicquam dicere, imo ne disputare quidem de Alkorano audet; tantum abest ut ei contradicat, aut ritus receptos non servet. Præterea vos Christiani docetis, neminem certum esse suæ salutis. At nos docemus, omnes salvatum iri, quicunq; Alcorano crediderint, &, relictis tribus diis ab hominibus confictis, uni DEO adhæresint. Vos Christiani habetis leges naturæ contra-

rias

rias & impossibiles, nec secus agitis, ac si quis flumina in mare decurrentia, ne eo fluerent, impedire vellet. Habetis enim Castitatem sub pœna damnationis sancitam, & polygamiam damnatis; cum tamen omnes gentes liberè, ipsiq; Judæi, polygamia usi sint. Vester Pontifex imperat Imperatori & Regibus, alit lites inter eos, immiscet sese Politico regimini: Unde miserrimi Imperatores, Reges, Principes, & respp. quæ Sacerdoti parere coguntur. At Bardescha, id est, Imperator noster, solus imperat omnibus, & ipsi Mufty. Nihil enim miserabilius, quam Seculares regi a Sacerdote. IMPERATOR ergo NOSTER SICUT EST IPSE INTERPRES LEGUM SUARUM, ITA ET ALCORANI. Hæc in transcursu: nunc ad priora redeundum.

XXVI. Vidimus hucusque, ut Hobbius potestatem de Religionis negotio statuendi absolutam, & cui ullo modo refragari grande nefas sit, civili tribuat imperio, atque hoc dogma primum ac præcipuum universæ suæ novæ Theologiæ fundamentum faciat. Jam si serio & ex animi sententia sic statuit, oportebit utique ipsummet, quod spectat ad res fidei, scitis placitisque summi magistratus Britannici acquiescere, iisque intellectum suum submittere. Id quod etiam a se fieri, non semel profitetur. Nempe in epistola ad Franciscum Godolphinum, qua suum ei Leviathanem inscribit, *Ne quid*, ait, *contra doctrinam Ecclesiæ nostræ publicam scriberem, (dissentire enim à singularibus licitum est) diligenter cavi.* & libri ipsius capite XXXIII, *Nullos*, inquit, *ego libros pro Scriptura sacra agnoscere debeo, præter eos, quos sancivit Ecclesia Anglicana.* Ubi *Ecclesiæ* nomine summam potestatem civilem illum innuere, e contextu manifestum. Dixerat enim paulo ante: *Cum ostensum sit supra, illos, qui summam habent in Civitate sua potestatem, solos Legislatores esse; sequitur, libros illos solos Canonicos, id est, Leges esse in unaquaque civitate, quæ summi Imperantis authoritate latæ sunt.* & mox: *De obedientia DEO præstanda controversia nulla est; sed quando & quid loquutus sit DEus. Id*

quod

quod ab iis, quibus nulla data est Revelatio supernaturalis (immediata) *sciri non potest, nisi per Rationem illam Naturalem, qua, pacis & justitiæ obtinendæ causa, authoritati summarum potestatum sese submiserunt.* Adde locum num. XII. recitatum, ubi diserte scribit: *Consulenda est Ecclesia civitatis, id est, is qui summam in ea habet potestatem:*

XXVII. Ceterum Hobbianam isthanc protestationem facto prorsus esse contrariam, vel cœcus viderit. Quid enim? an qui summam habent in Anglia, vel magna Britannia, potestatem, auctoritate sua sanxerunt dogmata, quæ ex Hobbii scriptis nos hucusque retulimus, & lectori expendenda proposuimus? an iidem illi credendum statuerunt, DEUM substantiam esse corpoream? quod Hobbius propugnat in Appendice ad Leviathan cap. III. an, DEUM in persona propria creasse mundum, in persona Filii redemisse genus humanum, in persona Spiritus sancti sanctificasse Ecclesiam? quod idem docet ibidem paulo post, & supra cap. I. an negandam & impugnandam præceperunt Satisfactionem CHRISTI? quod facit Hobbius, Element. Philosoph. sect. II, cap. XIV, 6. & Leviath. cap. XXXIIX, XLI. an immortalitatem animæ humanæ? quod idem non minus strenue facit Leviath. cap. XLIV, & Append. ad illud monstrum cap. I, III. an pœnas infernales post consummationem seculi non fore amplius dixerunt? quod ipse jamjam memorato Leviathanis cap. XLIV. defendere satagit. Sane tantum abest, ut has similesque solo Leviathane dignas opiniones Angliæ Rex ejusque regni Proceres auctoritate sua stabiliverint umquam, ut potius ibi publice audiant *fœda & nefanda dogmata, insaniens sapientia, veteres hæreses interpolatæ, blasphemiæ*, (vide supra num. IV.) tantumque odii in Hobbium concitaverint, ut vix in ipsa patria, nedum alibi, tutum subsistendi locum inveniret amplius; ceu ipsemet indicium facit, præfatus in dialogum de natura Aëris, *Fugere me,*

scribens, *ex Anglia in Galliam coëgit cleri pars una; & rursus fugere è Gallia in Angliam coëgit cleri pars altera.* Quid ergo ut certam indubitatamque veritatem obtrudere conatur aliis auctor, quod a semet pro vero haud agnosci, ipsa praxi manifeste demonstrat? *Turpe est Doctori, cum culpa redarguit ipsum.* Aut num forsan lectoribus persuadere se posse credidit, quas recensuimus doctrinas publica auctoritate per Angliam esse receptas? Quidquid dixerit aut elegerit, decumanarum semper impostrarum tenebitur profanus nugator. In cujus ruspando sterquilinio nolumus occupari diutius; quod ex hucusque allatis abunde pateat, quo loco Hobbiana scripta sint habenda, & quid eorum judicio tribuendum, qui tantopere illa, inprimis vero *egregium opus de CIVE incomparabilis viri D. HOBBII* ut *librum aureum, gemmis auctum & ornatum*, lectoribus commendant. Videantur, quæ repetitæ libri hujus editioni præmissæ sunt, Gallorum epistolæ. Ubi & hæc, inter cetera, leges, ad Sam. Sorberium scripta: *Quod addis, potuisse te ante discessum extorquere ab eximio illo HOBBIO id exemplum libri de CIVE, cui ipse manu propria marginaleis notas apposuit; ut cum isthuc, ubi te voveo incolumem, perveneris, edi iteratò procures, id summopere delectavit. Videlicet tam pauca fuere excusa libri exemplaria, ut illa sui sitim potius fecerint, quàm expleverint; siquidem innumeros video, qui librum ardenter, sed frustra, requirant. Et liber certè est non vulgaris, dignusque, qui omnium, qui altiora sapiunt, manibus teratur.* Cui tam illustri testimonio opponimus illud longe augustius Amplissimi Celeberrimique Dn. Sam. Rachelii nostri, dissert. de Jure Naturæ num. cix: *Nunquam, fateor, incidi in ullum Scriptorem, qui absurdiora ac tetriora placita orbi exposuerit: ut sanè sæpius miratus fuerim, quomodo ullius viri docti bonique suffragium mereri potuerit. Qui enim doctrina vel leviter tinctus, & non omnino hospes fuerit in Philosophia practica, (de hac enim sola nobis jam sermo est) facilè deprehendit, quantopere ille impo-*

stor

ſtor ſuo ingenio ad adſtruendum atheiſmum, tyrannidem, omneque im-probitatis genus abuſus ſit. Idem ſi bonus fuerit, (conjungi enim cum doctrina bonitatem cupimus) non poterit non impia hæc & inſulſa dogmata deteſtari, maloque genio adſcribere. Vel ergo utroque, vel ſaltem alterutro ſi quis ſit deſtitutus, & fortè temeraria novitatis cujuscunque cupiditate inſuper accenſus, has divinæ vindictæ primitias ſentit, ut peſtilentiſſimis etiam mendaciis facilis tribuatur adſenſus, atque etiam per talia exempla verbi divini autoritas ſtabiliatur. Ita enim inquit Apoſtolus 2. Theſſ. 2. v. 11. & 12. Διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει. ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλ' εὐδοκήσαντες ἐν τῇ ἀδικίᾳ. *Ideo mittet illis DEus operationem erroris, ut credant mendacio. Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt injuſtitiæ.* Judicium viro pie-docto, & Chriſtiano Philoſopho atque Icto dignum! in quo nos lubentiſſime acquieſcimus.

Sectio III.
De
BENEDICTO SPINOSA.

I.

Occupet extremum ſcabies! Quis vero ille? Benedictus eſt de Spinoſa (quem rectius Maledictum dixeris; quod *ſpinoſa* ex divina *maledictione* terra (Gen. III, 17. 18.) maledictum magis hominem, & cujus monumenta tot ſpinis obſita, vix umquam tulerit) vir initio Judæus, ſed poſtea, ob portentoſas de ipſo etiam Judaiſmo opiniones, ἀποσυνάγωγος, atque ſic tandem neſcio quibus artibus & fraudibus, inter Chriſtianos nomen profeſſus. De cujus vivendi ratione & inſtituto hæc habet auctor qui præfationem ſcriptis ejus poſthumis præmiſit: *Fuit ab ineunte ætate literis innutritus, & in adoleſcentia per multos annos in Theo-*

logia se exercuit. Postquam vero eo ætatis pervenerat, in qua ingenium matureſcit, & ad rerum naturas indagandas aptum redditur, se totum Philoſophiæ dedit. Quum autem nec Præceptores, nec harum ſcientiarum auctores, pro voto ei facerent ſatis, & ille tamen ſummo ſciendi amore arderet, quid in hiſce ingenii vires valerent, experiri decrevit. Ad hoc propoſitum urgendum ſcripta Philoſophica Nobiliſſimi & ſummi Philoſophi, Renati des Cartes, magno ei fuerunt adjumento. Poſtquam igitur ſe ab omnigenis occupationibus, & negotiorum curis, veritatis inquiſitioni magna ex parte officientibus, liberaſſet, quo minus a familiaribus in ſuis turbaretur meditationibus, urbem Amſtelædamum, in qua natus & educatus fuit, deſeruit, atque primo Renoburgum, deinde Voorburgum, tandem Hagam Comitis, habitatum conceſſit; ubi etiam IX *Kalend. Martii anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum ſeptuageſimo ſeptimo, ex phthiſi hanc vitam reliquit, poſtquam annum ætatis quadrageſimum quartum exceſſiſſet.* Quibus jungi possunt quæ hanc in rem fusius ipse Spinosa differit sub initium opusculi sui de intellectus emendatione; quæque respondit Jo. Lud. Fabritio, Academiæ Heidelbergensis Professori, & Electoris Palatini Consiliario, ad Philosophiæ Professionem amplectendam Electorali jussu anno LXXIII eum invitanti, epistola LIV, *Quoniam*, scribens, *nunquam publice docere animus fuit, induci non possum ut præclaram hanc occaſionem amplectar, tametſi rem diu mecum agitaverim. Nam cogito, me a promovenda Philoſophia ceſſare, ſi inſtituendæ juventuti vacare velim.*

II. Permissus igitur illi tantopere adamato sibi otio Spinosa, (de quo memoratus ante præfationis auctor, *Tantus*, inquit, *Veritatis expiſcandæ in eo ardor exarſit, ut, teſtantibus iis apud quos habitabat, per tres continuos menſes in publicum non prodierit*) opuscula cudit varia: *Renati* videlicet *des Cartes Principiorum Philoſophiæ partem primam & ſecundam more Geometrico demonſtratam; Cogitata Metaphyſica; Tractatum Theologico-Politicum; Ethicam ordine Geometri-*

metrico demonstratam; *Tractatum Politicum*; *Tractatum de Intellectus emendatione*; *Epistolas*; *Compendium* denique *Grammatices Linguæ Hebrææ.*

III. Quam vero Philosophiam & Theologiam in suis his scriptis profiteatur auctor, operæ pretium erit curatius aliquanto dispicere. Et quidem si fides habenda ei qui in opera Spinosæ præfatus est, placita ipsius *nulla in re a doctrina Christi & Apostolorum discrepare*, dicendum erit. Postquam enim varia recensuisset Spinosæ sapientiæ capita, subjungit: *Hæc sunt præcipua eorum, quæ Philosophus noster de recta vivendi ratione summoque hominis bono a ratione dictari demonstrat. Si hæc cum iis quæ Servator noster Jesus Christus, ejusq; Apostoli docuerunt, comparentur, non tantum summa in iis ea deprehenditur convenientia, sed & perspicietur, quæ ratio præscribit, eadem planè esse cum iis quæ ipsi tradidere, quin videbit, dogmata moralia religionis Christianæ in iis perfecte contineri.* Id quod allatis multis, per ipsos tres quaterniones, Novi Testamenti testimoniis ostendere, & lectori persuadere satagens, addit postea: Spinosam per suas demonstrationes *divinitatem & Sacrarum Literarum authoritatem, & simul veritatem Religionis Christianæ ostendere; adeo ut per hanc demonstrationem de iis tam certi simus, aut esse possimus, ut neque Judæus, neque Ethnicus, neque Atheus, vel quisquis sit, istas labefactare possit*; invehiturque in illos, *qui, sine dubio*, inquit, *ex crassa & supina ignorantia, & à suis passionibus seducti, acutissimum virum non tantum Atheismi accusare, sed etiam pro viribus lectoribus suis persuadere conati sunt, eum in suis scriptis Atheismum docere, & ejus positiones omnem Religionem omnemque Pietatem ex hominum animis tollere. Profecto* (ita pergit) *si adversarii ad hoc Psalmistæ tantùm attendissent, Ps. 14. vers. 1. & 53. vers. 2.* Dicit Stultus in corde suo: nullus est DEUS; *eos hic locus sapientiores ac prudentiores reddere, quin etiam nunc eorum temeritatem ostendere posset: nam his verbis Psalmista satis clarè ostendit, tam horendum facinus*

nus revera in sapientes (inter quos noster Philosophus, ipsis fatentibus, collocandus est) nec cadere, nec cadere posse.

IV. Audiatur quoque judicium Henrici Oldenburgii, qui Regiæ Societati Londinensi a Consilio & Secretis non ita pridem fuit. Ei quum singularis amicitia ac frequens literarum commercium cum Spinosa intercederet, non destitit urgere hominem, crebrisque epistolis obtundere, ut publicaret quæ parasset opera Philosophica & Theologica. *Omnino consulerem tibi*, scribit epistola VII, *ut quæ, pro ingenii tui sagacitate, docte tum in Philosophicis tum Theologicis concinnasti, doctis non invideas, sed in publicum prodire sinas; quicquid Theologastri oggannire poterint. Liberrima est respublica vestra; liberrime in ea philosophandum. - Satis diu ignorantiæ & nugis litatum: vela pandamus veræ scientiæ. - Non te missum faciam, amice honorande, quin te exoravero.* & epistola IIX: *Certe, vir amicissime, nil credo in publicum prodire posse quod viris revera doctis & sagacibus futurum sit illiusmodi tractatu* (de rerum primordio, earumque dependentia a prima causa, ut & de intellectus nostri emendatione) *gratius vel acceptius. Id tui genii & ingenii vir spectare potius debet, quam quæ nostri seculi & moris Theologis arrident. Non tam illi veritatem, quam commoditates spectant.* Adde epistolas sequentes, X, XI, XII, XIV. quo postremo loco. *Quid hæres*, inquit, *mi amice? - Nullatenus crediderim, in animo tibi esse, quicquam contra existentiam & providentiam DEI moliri; & fulcris hisce incolumibus, firmo talo stat Religio, facileque etiam quævis contemplationes Philosophicæ vel defenduntur vel excusantur. Rumpe igitur moras, nec scindi tibi penulam patiaris.* Quumque sic exoratus summus ille Philosophus & Theologus, sua tantopere desiderata mysteria paulo post edidisset, hæsitans aliquantum initio, iis ponderatis, Oldenburgius, tandem tamen ita pronunciavit, epistola, quæ IIX. Octobr. anni LXV, ad Spinosam scripta: *Indicaveram in* superioribus literis *de tractatu illo sententiam; quam uti-*

que

que, dehinc re propius inspecta & perpensa, nimis immaturam fuisse nunc existimo. Quædam mihi videbantur tunc temporis vergere in fraudem religionis, dum eam ex eo pede metiebar, quam Theologorum vulgus, & receptæ Confessionum formulæ (quæ nimium spirare videntur partium studia) suppeditant. At totum negotium intimius recogitanti multa occurrunt, quæ mihi persuasum eunt, te tantum abesse ut quicquam in veræ Religionis solidæve Philosophiæ damnum moliaris, ut contrà genuinum Christianæ religionis finem, nec non divinam fructuosæ Philosophiæ sublimitatem & excellentiam, commendare & stabilire allabores.

v. Ipse quinimo Spinosa non videri vult Scripturæ sacræ dignitati ullo modo detrahere; sed præ aliis illam facere maximi. Injecta enim inter disputandum ejus mentione, *Credo*, scribit ad Guilielmum de Blyenbergh, epist. XXXIV, *quod ego illi tantum, si non plus, adscribam* (quam tu) *authoritatis.* & præfatione Tractatus Theologico-Politici, in Theologos Christianos invectus, *eos Scripturæ divinitatem nec per somnium videre affirmat.* Estque tanta viri hujus, confidentia dicam, an impudentia? ut Tractatum suum Theologico-Politicum, quem Atheismi (strictissime sic dicti) synopsin seu compendium optimo jure nuncupaveris, istis concludere verbis non dubitet: *His quæ in hoc tractatu agere constitueram absolvi. Supereſt, expresse monere, me NIHIL in eo scripsisse, quod non libentissime examini & judicio summarum Potestatum patriæ meæ subjiciam. Nam si quid horum, quæ dixi, patriis legibus repugnare, vel communi saluti obesse judicabunt, id ego indictum volo. Scio me hominem esse, & errare potuisse; ne autem errarem, sedulo curavi, & apprime, ut quicquid scriberem, legibus patriæ, PIETATI, bonisque moribus omnino responderet.* Quæ totidem syllabis repetit, ubi ad lectorem præfatur. Confer infra num. XIIX. vers. 16.

VI. Quid reliquum obsecro, nisi ut *exclamet Melicerta, perisse*

se frontem de rebus? Persuadere lectoribus conatur Spinosa, se nihil in suo illo tractatu scripsisse quod non libentissime examini & judicio summarum potestatum patriæ suæ, id est, Hollandiæ Ordinum, sit subjecturus; seduloque curasse se, ut, quidquid scriberet, pietati bonisque moribus omnino responderet. Quasi videlicet præsumere ullo modo potuerit, Bataviæ Proceres calculo suo approbaturos, ut Pietati bonisque moribus omnino respondentia dogmata: non existere DEUM, Naturæ conditorem & gubernatorem; Prophetas fuisse Phantastas, Christianæ Religionis mysteria delirantis ingenii commenta esse; hisque similia alia sine numero extremæ impietatis portenta. Sed nimirum indolem hæc sapiunt Gentilium veterum, quibus adeo simplices credebantur quotquot Christianismum amplexi erant mortales, ut quidvis a quovis pro lubitu obtrudi sibi sinerent. Quo pertinent hæc Luciani in Peregrino: ἢν τίνυν παρέλθῃ εἰς αὐτὰς γόης καὶ τεχνίτης ἄνθρωπος, καὶ πράγμασι χρῆσθαι δυνάμενος, αὐτίκα μάλα πλάστος ἐν βραχεῖ ἐγένετο, ἰδιώταις ἀνθρώποις ἐγχάνων, *Si quis præstigiator, aut alioqui homo promptus & versutus, & rei faciendæ appositus, eos* (Christianos) *accesserit, brevi admodum opulentus efficitur, quippe qui hominum idiotarum simplicitate callide queat abuti.* ut similiter eo spectat, quod Cæcilio Natali, apud Minucium Felicem, Christiani homines audiunt *indocti, impoliti, rudes, agrestes: quibus*, inquit, *non est datum, intelligere civilia, multo magis denegatum est, disserere divina.* Adde, etiam a Valentinianis SIMPLICES olim appellatos fuisse Christianos Catholicos, teste Tertulliano, libro adversus Hæreticos illos cap. II.

VII. Ceterum ne quid affingere videamur Spinosæ, præcipua Theologiæ ejus fundamenta & capita ex ipsius libris ac opusculis lectori sistemus, magnam partem ex Herberti Hobbiique doctrina conflatis, sed ita, ut quæ illi tectius aliquanto & timidius tradiderant, iste clarius disertiusque exprimat; ubi illi

susp-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0092
DFG

ſuſpenſo gradu inceſſerant, iſte veſtigia figat audacius, & portenta portentis cumulet; memor ſcilicet Oldenburgici illius moniti: in liberrima Republica liberrime philoſophandum. Quod patriæ ſuæ privilegium his expreſſit verbis Gisbertus Voetius, diſput. de Atheiſmo parte IV, pag. 223. *Belgium noſtrum, vere libertinorum omniumque fanaticorum Africam, his peſtibus* (Atheis) *quam maximè fuiſſe & etiamnum eſſe obnoxium, negari non poteſt. - Usque in hodiernum diem multi ex Belgis, præſertim Batavis, novitatis nimis avidi, Libertinismum nimis patienter & ſolidè admirantur, fanaticos quosq; hìc ortos & emergentes, aut aliunde, ob libertatem, ſeu licentiam ſectarum, huc confluentes Libertinos, Neutrales, Atheos, benignè fuerunt, cumq; iis familiariter converſantur, eos, pro ſolita inprimis in exteros & peregrinos humanitate, in deliciis habent. Oblectantur enim aut morum civilitate, aut urbanitate & dexteritate in ſalibus & jocis, aut promptitudine aut ſaltem oſtentatione alicujus ingenii, aut aliquâ eorum ſive eloquentiâ, ſive loquentiâ, aut facultate Poëticâ, aut aliquâ arte & thaumaturgiis atq; inventis Mathematicis & Mechanicis, aut aliqua ſolius Arithmeticæ & Geometriæ practicæ exercitatione. Hæc aliaq; ſolidæ ſapientiæ & pietati, quæ delicatulis & verſatilibus hominibus nimis moroſa & moleſta, vulgò præferuntur. Hic Pietatis honos. Hinc fertilis Atheorum, Libertinorum, Lucianorum, Neutralium, apud nos proventus, furor, inſolentia.* Ubi Spinoſam data opera depingi dixeris; ad quem ita ſcribebat Londino, menſe Auguſto anni LXI, Oldenburgius: *Rerum ſolidarum ſcientia, conjuncta cum humanitate & morum elegantia (quibus omnibus Natura & Induſtria ampliſſime te locupletarunt) eas habent in ſemetipſis illecebras, ut viros quosvis ingenuos & liberaliter educatos in ſui amorem rapiant.* Sed ad rem.

IIX. Oſtendimus libri hujus ſect. 1, 22. ſqq. ex Baronis Herberti, Naturaliſtarum noſtri ævi Principis, ſententia, in Scripturæ ſacræ ſcrutinio notitias communes, ſive ea, quorum veritas ex Naturæ lumine manifeſta eſt, quæque conſenſu uni-

versali ab omnibus admittuntur, secernenda esse ab his quæ tamquam divinitus revelata ibi traduntur: & sicuti priora illa tamquam indubitato certa amplecti jubet, sic nulli ipsum labori parcere, ut cetera incerta, dubia, suspecta esse, (si non omnino falsa) lectori persuasum eat; passimque Credulitatem Christianis objicere, quod quævis sine discrimine dogmata ut grandia mysteria obtrudi sibi patiantur. Eodem igitur tendunt, quæ scribit, præfatus in Tractatum suum Theologico-Politicum, de Christianis Doctoribus Spinosa: *Fateor, eos nunquam satis mirari potuisse Scripturæ profundissima mysteria; attamen præter Aristotelicorum vel Platonicorum speculationes nihil docuisse video: atque his, ne Gentiles sectari viderentur, Scripturam accommodaverunt. Non satis his fuit, cum Græcis insanire; sed Prophetas cum iisdem deliraviisse voluerunt: quod sane clare ostendit, eos Scripturæ divinitatem nec per somnium videre; & quo impensius hæc mysteria admirantur, eo magis ostendunt, se Scripturæ non tam credere, quam assentari: quod hinc etiam patet, quod plerique tanquam fundamentum supponunt (ad eandem scilicet intelligendum, ejusq; verum sensum eruendum) IPSAM UBIQUE VERACEM ET DIVINAM ESSE. Id nempe ipsum, quod ex ejusdem intellectione & severo examine demum deberet constare, & quod ex ipsa, quæ humanis figmentis minime indiget, longe melius edoceremur, in primo limine pro regula ipsius interpretationis statuunt. Cum hæc ergo animo perpenderem, scilicet lumen naturale non tantum contemni, sed a multis tanquam impietatis fontem damnari; humana deinde commenta pro divinis documentis haberi; Credulitatem Fidem æstimari; & controversias Philosophorum in Ecclesia & in Curia summis animorum motibus agitari, ac inde sævissima odia atq; dissidia, quibus homines facile in seditiones vertuntur, plurimaq; alia, quæ hic narrare nimis longum foret, oriri animadverterem; sedulo statui, Scripturam de novo integro & libero animo examinare.* Quo facto, *facile*, inquit, *determinare potui, Prophetarum authoritatem in iis tantum pondus habere quæ usum*

vitæ

vitæ & veram Virtutem spectant, cæterum eorum opiniones nos parum tangere. Gemina in ipso Tractatu inculcat passim: inter alia capite VII, pag. 85. ubi ait: *Scripturæ divinitas ex hoc solo constare debet, quod ipsa veram Virtutem doceat;* sive (ut paulo ante erat loquutus) *documenta* proponat *moralia*, quæ *ex notionibus communibus demonstrari possunt.*

XI. Videlicet Prophetiam sive Revelationem nihil aliud fuisse auctor existimat, quam imaginationes phantasticas, quales melancholicorum esse solent; & Prophetas homines fanaticos, qui multa vana, stolida, & ridicula mente conceperint. Eo nimirum spectat, quod scribit Tract. Theologico-Politici cap. II, pag. 15. *Prophetas non fuisse perfectiore mente præditos, sed quidem potentia vividius imaginandi.* Quæ etiam causa sit, cur Salomo, Rex sapientissimus, Heman, Darda, Kalchol, viri prudentissimi, Prophetæ non fuerint; homines autem rustici, imo mulierculæ etiam, Prophetico dono fuerint præditæ. *Nam*, ait, *qui maxime imaginatione pollent, minus apti sunt ad res pure intelligendum; & contra, qui intellectu magis pollent, eumq; maxime colunt, potentiam imaginandi magis temperatam, magisq; sub potestatem habent, & quasi freno tenent, ne cum intellectu confundatur. Qui igitur*, subjungit, *sapientiam, & rerum naturalium & spiritualium cognitionem, ex Prophetarum libris investigare studeant, tota errant via.* Id quod pluribus mox persequens, inter alia pag. 16. & 18. *Revelatio, variabat*, inquit, *in unoquoque Prophetæ pro dispositione temperamenti corporis, imaginationis, & pro ratione opinionum, quas antea amplexus fuerat. Pro ratione enim temperamenti variabat hoc modo: nempe, si Propheta erat hilaris, ei revelabantur victoriæ, pax, & quæ porro homines ad lætitiam movent; tales enim similia sæpius imaginari solent: Si contra tristis erat, bella, supplicia, & omnia mala ei revelabantur; & sic prout Propheta erat misericors, blandus, iracundus, severus, &c. eatenus magis aptus erat ad has quam ad illas revela-*

tiones. Pro dispositione imaginationis autem sic etiam variabat; nempe, si Propheta erat elegans, stylo etiam eleganti DEI mentem percipiebat, sin autem confusus, confuse, & sic porro circa revelationes, quæ per imagines repræsentabantur; nempe, si propheta erat rusticus, boves & vaccæ, &c. si vero miles, duces, exercitus; si denique Aulicus, solium Regium, & similia ipsi repræsentabantur. Denique variabat Prophetia pro diversitate opinionum Prophetarum: nempe Magis (vide Matthæi cap. 2.) qui nugis Astrologiæ credebant, revelata fuit Christi nativitas per imaginationem stellæ in oriente ortæ; Auguribus Nabucadonosoris (vide Ezechelis cap. 21. vers. 26.) in extis revelata fuit vastatio Hierosolymæ, quam etiam idem Rex ex oraculis intellexit, & ex directione sagittarum, quas sursum in aërem projecit. Prophetis deinde, qui credebant, homines ex libera electione & propria potentia agere, DEus ut indifferens revelabatur, & ut futurarum humanarum actionum inscius. Quæ utique nihil aliud præ se ferunt, quam, Prophetas, ut solent ægri, melancholici, dormientes, pro ratione humorum qui in corporibus ipsorum dominabantur, ac præjudiciorum quibus erant præoccupati, varia sibi fuisse imaginatos, eaque pro divinis revelationibus aliis obtrusisse. Et notetur, quod eodem loco Spinosa heic habeat veros, qui in Ecclesia Israëlitica agebant Prophetas, atque Gentilium idololatrarum Augures. uti etiam infra cap. III, pag. 36. 39. aperte docet, ac propugnat, donum Propheticum nequaquam Judæis peculiare fuisse, sed omnibus nationibus commune; & *quos Gentiles solebant vocare Augures, & divinos, veros fuisse Prophetas;* invehiturque in Pharisæos, (quos ita vocat) sive Hebræorum Magistros, contendentes, Prophetiæ donum suo dumtaxat populo competere, reliquas vero nationes ex virtute Diabolica res futuras prædixisse. Utque ad supra memoratum caput II. regrediamur, post operose institutam ibi de Prophetis eorumque auctoritate disquisitionem, tandem in hæc verba auctor desinit pag. 28. *Ex his itaque*

que satis superque constat id quod ostendere proponebamus, nempe DEUM *revelationes captui & opinionibus Prophetarum accommodavisse, Prophetasq; res, quæ solam speculationem, & quæ non Charitatem & usum vitæ spectant, ignorare potuisse, & revera ignoravisse, contrariasq; habuisse opiniones. Quare longe abest, ut ab iis cognitio rerum naturalium & spiritualium sit petenda. Concludimus itaq;, nos Prophetis nihil aliud tenere credere præter id quod finis & substantia est revelationis; in reliquis, prout unicuiq; libet, liberum est credere.*

x. Imo non de Prophetis dumtaxat, sed Apostolis etiam, ipsoque CHRISTO, & eorum doctrina, Spinosam sic statuere, palam est ex illis quæ paulo post jam recitata subjicit, pag. 129. *Nec aliter de Christi rationibus, quibus Pharisæos contumaciæ & ignorantiæ convincit, discipulosq; ad veram vitam hortatur, statuendum; quod nempe suas rationes opinionibus & principiis uniuscujusq; accommodavit. Ex. gr. cum Pharisæis dixit, vide Matth. cap. 11. vers. 20.* Et si Satanas Satanam ejicit, adversus seipsum divisus est; quomodo igitur staret regnum ejus? *nihil nisi Pharisæos ex suis principiis convincere voluit, non autem docere, dari Dæmones, aut aliquod Dæmonum regnum. Sic etiam cum discipulis dixit Matth. 18. vers. 10.* Videte, ne contemnatis unum ex parvis istis. Dico enim vobis, Angelos eorum in cœlis, &c. *nihil aliud docere vult, quam, ne sint superbi, & ne aliquem contemnant; non vero reliqua, quæ in ipsius rationibus, quas tantum adfert ad rem discipulis melius persuadendam, continentur. Idem denique de rationibus & signis Apostolorum absolute dicendum.* Ubi ὡς ἐν παρόδῳ Sadducæismo suo, quod neque boni sint neque mali Angeli, patrocinari satagit, depravando scilicet testimonia CHRISTI manifestissima, quibus utrorumque existentia confirmatur. At de his postea: nunc ea quæ de Apostolis infra cap. XI. auctor differit, superioribus jungemus Scribit ergo ibi, pag. 139. *Longas Pauli deductiones & argumentationes, quales in Epistol. ad Romanos reperiuntur, nullo modo ex revelatio-*

latione ſupernaturali ſcriptas fuiſſe, concedo. item: *Tam modi loquendi quam diſſerendi Apoſtolorum in Epiſtolis clariſſime indicant, easdem non ex revelatione, & divino mandato, ſed tantum ex ipſorum naturali iudicio ſcriptas fuiſſe, & nihil continere præter fraternas monitiones mixtas urbanitate; à qua ſanè*, inquit, *Prophetica authoritas planè abhorret.* & pag. 143. Apoſtolos Chriſtianam religionem diverſis fundamentis ſuperſtruxiſſe docet; atq;, *non dubium eſt*, ait, *quin ex hoc, quod ſcilicet Apoſtoli diverſis fundamentis religionem ſuperædificaverint, ortæ ſint multæ contentiones & ſchiſmata, quibus Eccleſia jam inde ab Apoſtolorum temporibus indeſinenter vexata fuit, & profecto in æternum vexabitur, donec tandem aliquando Religio à ſpeculationibus Philoſophicis ſeparetur, & ad pauciſſima & ſimpliciſſima dogmata, quæ Chriſtus ſuos docuit, redigatur: quod Apoſtolis impoſſibile fuit; quia Evangelium ignotum erat hominibus, adeoq; ejus ne doctrinæ novitas eorum aures multum læderet, eam, quoad fieri poterat, hominum ſui temporis ingenio accommodaverunt. - Jam autem felix profecto noſtra eſſet ætas, ſi ipſam etiam ab omni ſuperſtitione liberam videremus!* Quæ poſtrema indicio ſunt, ſpem concepiſſe Spinoſam, fore ut in locum abrogatæ doctrinæ Chriſtianæ, uti ab Apoſtolis olim prædicata illa inque literas relata fuit, purus putus Atheiſmus, qualem videlicet ipſe propugnat, orbique obtrudere ſatagit, tandem aliquando ſuccedat. Quod etiam de ſuo ſperabat Naturaliſmo Herbertus, velut ſect. 1, 40. notavimus. Sed hæc obiter: ad rem redamus.

XI. Hoc proinde jacto ſemel fundamento, quod nempe ea fuerit ſcriptorum ſacrorum conditio, quæ in ſuperioribus expreſſa eſt, non mirum, tot inde porro manantes impietates, a quibus Chriſtianæ aures merito abhorrent, paſſim apud Spinoſam legi: puta, quod in libris Biblicis multa occurrant falſa, fabuloſa, ἀσύστατα, ἀσύμφωνα, ſibique directe adverſa; in quo oſtendendo operoſiſſimus eſt capitibus præſertim IX, X, XV, jamjam memo-

memorati tractatus ; quodque *nimis ſtudeant eſſe ſancti, & religionem in ſuperſtitionem convertant, imo ſimulacra & imagines, hoc eſt, chartam & atramentum, pro DEI verbo adorare incipiant*, qui credere nolunt, quod ipſe ſtatuit, corpus Scripturæ *mendoſum, truncatum, adulteratum, & ſibi non conſtans* eſſe, *nosq; ejus non niſi fragmenta habere*, cap. XII, pag. 144. 145. Nimirum Hobbii premens veſtigia (Leviath. cap. XXXIII.) libros Biblicos hodiernos nequaquam a Moſe & Prophetis, ſed multis demum ſeculis poſt auctorum, quorum nomina præ ſe ferunt, mortem, conſcriptos eſſe vult, cap. IIX, ſeqq. imo cap. XIV, pag. 159. *Libri Sacri*, ait, *non ab uno ſolo, nec unius ætatis VULGO ſcripti fuerunt; ſed a plurimis diverſi ingenii diverſiq; ævi viris.* & ſub finem capitis XII. aſſerere non dubitat, data opera Scripturam in nonnullis adulteratam eſſe; partim ut populus ad devotionem magis commoveretur, partim ut torquerentur Philoſophi, nempe traditorum ibi miraculorum quorundam rationem aſſequi haud valentes. De quo poſteriori jam ſupra egerat cap. VI, pag. 77. dicens inter alia : *omnia, quæ in Scriptura verè narrantur contigiſſe, ea ſecundum leges Naturæ, ut omnia, neceſſario contigiſſe ; & ſi quid reperiatur quod apodictice demonſtrari poteſt legibus Naturæ repugnare, aut ex iis conſequi non potuiſſe, plane credendum, id a ſacrilegis hominibus ſacris literis adjectum fuiſſe.* Quæ & mille alia ſimilia poſtquam in divinum Codicem per totum illum tractatum effutiiſſet, tandem concluſurus hanc ſuam doctrinam Theologicam, & ad Politica progreſſurus, ſub finem capitis XV, *Antequam ad alia pergam*, inquit impius hypocrita, *hic expreſſe monere volo (tametſi jam dictum ſit) circa utilitatem & neceſſitatem ſacræ ſcripturæ, ſive relationis, quod ipſam permagnam ſtatuo. Nam quandoquidem non poſſumus lumine naturali percipere, quod ſimplex obedientia via ad ſalutem ſit, ſed ſola revelatio doceat, id ex ſingulari DEI gratia, quam ratione aſſequi non poſſumus, fieri; hinc ſequitur, Scripturam magnum admodum ſola-*

ſolamen mortalibus attuliſſe. Quippe omnes abſolute obedire poſſunt, & non niſi pauciſſimi ſunt, ſi cum toto humano genere comparentur, qui virtutis habitum ex ſolo rationis ductu acquirunt, adeoque, niſi hoc Scripturæ teſtimonium haberemus, de omnium fere ſalute dubitaremus.

XII. Ubi quum mentionem faciat & ſingularis DEI gratiæ, & naturali lumini contradiſtinctæ Revelationis, & Salutis Scripturæ adminiculo parandæ, quis non credat, DEI, ſive ſupremi Numinis, exiſtentiam, animarumque humanarum immortalitatem, & beatitudinem aliquam poſt hanc vitam, a Spinoſa omnino admitti? Imo quod non ſolum omnia & ſingula ſect. 1, 5. enumerata Herbertianæ Theologiæ capita pro veris hominique ſalvando neceſſariis dogmatibus agnoſcat, ſed propius etiam, quam ille, ad Chriſtianiſmum accedat, planiſſime videntur perſuadere quæ leguntur cap. XIV, pag. 163. ſeq. *Ad fidem Catholicam ea ſolummodo dogmata pertinent, quæ erga DEUM obedientia abſolute ponit, & quibus ignoratis obedientia eſt abſolute impoſſibilis; de reliquis autem, prout unusquisq;, quia ſe ipſum melius novit, ſibi, ad ſe in amore Juſtitiæ confirmandum, melius eſſe viderit, ſentire debet. Et hac ratione puto nullum locum controverſiis in Eccleſia relinqui. Nec jam verebor fidei univerſalis dogmata, ſive univerſæ Scripturæ intenti fundamentalia enumerare, quæ (ut ex iis, quæ in his duobus capitibus oſtendimus, evidentiſſime ſequitur) omnia huc tendere debent, nempe, dari Ens ſupremum, quod Juſtitiam & Charitatem amat, cuiq; omnes, ut ſalvi ſint, obedire tenentur, eumq; cultu Juſtitiæ & Charitate erga proximum adorare. Atq; hinc facile omnia determinantur, quæq; adeo nulla, præter hæc, ſunt: videlicet 1. DEUM, hoc eſt, ens ſupremum, ſumme juſtum, & miſericordem, ſive veræ vitæ exemplar exiſtere. Qui enim neſcit, vel non credit, ipſum exiſtere, ei obedire nequit, neq; eum Judicem noſcere. 11. eum eſſe unicum. Hoc enim etiam ad ſupremam devotionem, admirationem, & amorem erga DEUM, abſolute requiri, nemo dubitare poteſt. Devotio namq;, admiratio,*

ratio, & amor, ex sola excellentia unius supra reliquos orientur. III. *eum ubiq; esse præsentem, vel omnia ipsi patere. Si res ipsum latere crederentur, vel ipsum omnia videre ignoraretur, de æquitate ejus Justitiæ, quâ omnia dirigit, dubitaretur, vel ipsa ignoraretur.* IV. *ipsum in omnia supremum habere jus & dominium, nec aliquid jure coactum, sed ex absoluto beneplacito & singulari gratia facere. Omnes enim ipsi absolute obedire tenentur, ipse autem nemini.* V. *Cultum DEI, ejusq; obedientiam, in sola Justitia, & Charitate, sive amore erga proximum, consistere,* VI. *Omnes, qui hac vivendi ratione obediunt, salvos tantum esse; reliquos autem, qui sub imperio voluptatum vivunt, perditos. Si homines hoc firmiter non crederent, nihil causæ esset, cur DEO potius quam voluptatibus obtemperare mallent.* VII. *denig; DEUM pœnitentibus peccata condonare. Nullus enim est qui non peccet. Si igitur hoc non statueretur, omnes de sua salute desperarent, nec ulla esset ratio, cur DEUM misericordem crederent: qui autem hoc firmiter credit, videlicet, DEUM ex misericordia, & gratia, qua omnia dirigit, hominum peccata condonare, & hac de causa in DEI amore magis intenditur, is revera Christum secundum Spiritum novit, & Christus in eo est. Atq; hæc omnia nemo ignorare potest apprime cognitu necessaria esse, ut homines, nullo excepto, ex præscripto Legis supra explicato, DEO obedire possint. Nam horum aliquo sublato, tollitur etiam obedientia.*

XIII. Quis, videlicet his lectis, Christianum esse Spinosam inficietur? quis Atheismi eum postulet; & quidem crassioris illius, quo ipsa DEI existentia negatur? Ita nimirum *fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Meri namque doli sunt, fallaciæ, impostura, quibus insidias incautioribus heic struit, suæque crudissimæ impietatis fœditatem quoquo modo tegere conatur maledictus Sophista. Etenim, ut evidenter paulo post monstrabitur, serio & ex animi sententia nihil eorum ipse credit, quæ heic, tamquam necessaria ad salutem, credenda proponit; sed pro cerebri humani commen-

tis illa habet omnia. Vult nihilominus ab aliis ut salutaria dogmata ea acceptari; siquidem statuit, *fidem non tam requirere vera, quam pia dogmata, hoc est, talia quæ animum ad obedientiam movent; tametsi inter ea plurima sint quæ nec umbram veritatis habent: dummodo tamen is, qui eadem amplectitur, eadem falsa esse ignoret*; ceu scribit loco supra citato, pag. 162. uti quoque jam ante, cap. XIII, pag. 157. dixerat, quum *Scriptura nullam DEI definitionem expresse tradat, - intellectualem DEI cognitionem, qua ejus naturam, prout in se est, considerat, - ad fidem & religionem revelatam nullo modo pertinere, & consequenter homines circa hanc sine scelere toto cælo errare posse.* Quemadmodum etiam iis conformiter cap. XV, pag. 170. *Pro inconcusso statuimus*, ait, *quod nec Theologia Rationi, nec Ratio Theologiæ ancillari teneatur, sed unaquæq; suum regnum obtineat: nempe, uti diximus, Ratio regnum Veritatis & Sapientiæ, Theologia autem Pietatis & Obedientiæ. Nam Rationis potentia, ut jam ostendimus, non eousq; se extendit, ut determinare possit, quod homines sola obedientia, absq; rerum intelligentia, possint esse beati: Theologia vero nihil præter hoc dictat, nihilq; præter obedientiam imperat, & contra rationē nihil vult, neq; potest. Fidei enim dogmata (ut in præcedente capite ostendimus) eatenus tantum determinat, quatenus obedientiæ sufficit; quomodo autem præcise ratione veritatis intelligenda sint, Rationi determinandum relinquit.*

XIV. Quæ postrema verba, præterquam quod confirmant supra expressam Spinosæ assertionem, quævis etiam falsissima dogmata ut salutaria fidei capita hominibus credenda recte proponi; aliud insuper profanæ ipsius Theologiæ mysterium patefaciunt: scilicet, posse, imo debere, unumquemque fidei dogmata suo captui, ingenio, & opinionibus, quas tenet, convenienter, intelligere ac interpretari; adeo ut qui diversissimas fovent & plane repugnantes de DEO rebusque divinis sententias, eandem nihilominus fidei doctrinam, quod ad externum verborum sonum attinet, profiteri queant. Quam observationem hermeneutico-

menevticam clarius proponit capite præcedenti XIV, pag. 164. Ubi enim exhibuerat, quæ num. XII. recitavimus, Catholicæ fidei capita, subjungit e vestigio: *Cæterum quid DEUS, sive illud vera vitæ exemplar sit; an scilicet sit ignis, spiritus, lux, cogitatio &c. id nihil ad fidem, ut nec etiam, qua ratione sit veræ vitæ exemplar; an scilicet propterea, quod animum justum & misericordem habet, vel quia res omnes per ipsum sunt & agunt, & consequenter nos etiam per ipsum intelligimus, & per ipsum id, quod verum, æquum, & bonum est, videmus? perinde est quicquid de his unusquisq; statuerit. Deinde nihil etiam ad fidem, si quis credat, quod DEus secundum essentiam vel secundum potentiam ubiq; sit; quod res dirigit ex libertate, vel necessitate naturæ; quod leges tanquam Princeps præscribat, vel tanquam æternas veritates doceat; quod homo ex arbritrii libertate, vel ex necessitate divini decreti DEO obediat; quodque denig; præmium bonorum & pœna malorum naturalis vel supernaturalis sit: hæc & similia, inquam, nihil refert, in respectu fidei, qua ratione unusquisq; intelligat, dummodo nihil eum in finem concludat, ut majorem licentiam ad peccandum sumat, vel ut minus fiat DEO obtemperans: quinimo unusquisq;, ut jam supra diximus, hæc fidei dogmata ad suum captum accommodare tenetur, eaq; sibi eo modo interpretari, quo sibi videtur eadem facilius, sine ulla hæsitatione, sed integro animi consensu, amplecti posse, ut consequenter DEO pleno animi consensu obediat. Nam, ut jam etiam monuimus, sicuti olim fides secundum captum & opiniones Prophetarum & vulgi illius temporis revelata scriptaq; fuit, sic etiam jam unusquisq; tenetur eandem suis opinionibus accommodare, ut si ipsam, absq; ulla mentis repugnantia, sineq; ulla hæsitatione, amplectatur.* Nempe, etiamsi Spinosa ne unicum quidem supra enumeratorum dogmatum tamquam verum admittat, si intelligantur ut naturalis cogitatio super ea cadit, & a Christianis Theologis sanisque Philosophis communiter accipiuntur; talem nihilominus sensum sive sententiam verbis quibus concepta illa sunt, affingi posse

credit, quæ ipsius de DEO cultuque divino opinionibus per omnia respondeat. Quas cum non nisi subobscure memorato loco insinuet, ex aliis testimoniis, quæ passim in scriptis ipsius leguntur, aliquanto clarius eas proponemus.

XV. Quandoquidem ergo, DEI negare existentiam, *horrendum facinus* esse fatetur ipsemet præfationis operibus Spinosæ posthumis præfixæ auctor, cujusmodi *revera insipientes nec cadat, nec cadere possit;* omnem quidem movet lapidem, qui præ ceteris mortalibus sapere & sibi & discipulis suis videtur, Spinosa, ut DEUM agnoscere credatur; indeque epistola XIX, anno LXXV. ad Oldenburgium scripta, falsum de se rumorem ubique tunc sparsum queritur, quod librum ederet, in quo conaretur ostendere, nullum dari DEUM. *Qui quidem rumor*, ait, *à plurimis accipiebatur. Unde quidam Theologi (hujus forte rumoris auctores) occasionem cepere de me coram Principe & magistratibus conquerendi.* Ceterum mera sunt æquivocationum ludibria, quibus fucum incautioribus facere studet sceleratus nugator. Etenim DEUS, cujus existentiam videri vult agnoscere, non est ei supremum illud Numen, a quo, tamquam a primo auctore, sive prima causa efficiente (ut in scholis loquimur) omnia condita esse, omnia conservari, ac gubernari, & Scripturæ sacræ adducti auctoritate immota fide nos credimus, & ex lumine naturali evidenter scimus: sed DEI nomine Naturam intelligit, id est, Universum hoc, sive, quidquid ambitu suo complectitur hic mundus, ex se ipso & per ipsum ab æterno existens, nec ullam sui causam externam, sive efficientem, sive finalem, agnoscens. Quam monstrosam opinionem licet initio occultare studuerit auctor (uti inprimis ex epistolis amoebæis II, III, IV, V, apparet, ubi perspicue de hoc negotio agenti & disquirenti Oldenburgio obscure semper respondet, & omnia data opera sic involvit, ut tergiversationem ejus cuivis palpare liceat) edito tamen Tractatu

ſtatu Theologico-Politico, non ita diſſimulare potuit, quin ſagaciores illam lectores odorarentur. Etenim L. de V. ſuum de hoc libro judicium interponens, epiſtola ad I. O. (eſt inter Spinoſæ Epiſtolas XLIIX.) *Vereor*, inquit, *ne noſter auctor non admodum alienus ſit ab illa ſententia* (hoc univerſum DEUM eſſe) *Saltem non longe diſcrepant, ſtatuere, omnia neceſſario a DEI natura emanare,* (quæ nimirum Spinoſæ eſt aſſertio) *& Univerſum ipſum DEUM eſſe.* Ad quod aliter non, quam his verbis, epiſtola ſequenti XLIX, reſpondet Spinoſa: *Nec hic jam quæro, cur idem ſit, vel non multum diſcrepent, ſtatuere, omnia neceſſariò à DEI natura emanare, & Univerſum DEUM eſſe*; eo ipſo, factam iſthanc imputationem a vero alienam haud eſſe, agnoſcens ſcilicet. Et quamquam epiſtola XXI, tota eos via errare ſcribat, qui putent, *Tractatum Theologico-Politicum eo niti, quod DEUS & Natura unum & idem ſint*; mera tamen rurſum id impoſtura eſt, fallitque ambiguitate vocis *Naturæ* auctor; qua cenſores ſuos *maſſam quandam ſive materiam corpoream* innuere ait, quum ipſe, in nota marginali illius ipſius Tractatus, cap. VI, pag. 69. lectorem obſervare jubeat, ſe *per Naturam non intelligere SOLAM MATERIAM, ejusque affectiones, ſed præter materiam alia infinita*: puta, ipſum hoc Univerſum, quod omnia junctim entia, cujuscumque tandem indolis & conditionis ſint, complectitur. Simili fallit æquivocatione, quando DEUM, vel DEI eſſentiam, omnium rerum cauſam eſſe tradit, v. g. Tract. Theologico-Politici cap. IV, pag. 46. & alias ſæpiſſime. Neque enim hoc eo ſenſu affirmat quo a ſanæ mentis Theologis & Philoſophis communi ſuffragio docetur; ſed ita id explicat, jamjam memorata ad Oldenburgium epiſtola: *DEUM rerum omnium cauſam immanentem, ut ajunt, non vero transeuntem, ſtatuo. Omnia, inquam, in DEO eſſe, & in DEO moveri, cum Paulo affirmo, & forte etiam cum omnibus antiquis Philoſophis, licet alio modo.* Ubi quum per cauſam *transeuntem* haud

dubie eam auctor intelligat quæ actione transeunte aliquid extra se suamque essentiam producit, & alias causa efficiens *externa* dici solet, talemque causam DEUM respectu creaturarum esse neget, planum est, quod communem orbis & Christiani & non-Christiani de DEO, omnium rerum auctore, conservatore, gubernatore, sententiam rejiciat. Quod vero ait, DEUM esse rerum omnium causam *immanentem*; id nemo facile aliter poterit accipere, quam, esse quidē DEum causam creaturarum efficientem, sed *internam*, sive talem, cujus effectus in ipsa causa, non extra illam, existit: vel etiam, esse causam earundem *per emanationem*, a qua scilicet effectus *immanenter* per necessariam perpetuamque dependentiam emanat; uti, v.g. ignis causa est sibi inexistentis caloris, aqua, inhærentis frigoris, Sol, intra se productæ lucis. Quæ posterior expositio ad Spinosæ mentem eo accedere videtur propius, quod Ethicæ suæ parte IV, in scholio propositionis L, ille scribit, *omnia ex naturæ divinæ necessitate sequi*, & parte I, corollario propositionis XXV, *res particulares* nihil esse nisi *DEI attributorum affectiones, sive modos, quibus DEI attributa certo & determinato modo exprimantur.*

XVI. Verum enim vero, si paulo intimius auctoris placita scrutemur, genuinam ejus sententiam esse comperiemus, quod DEUS sit ipsa Natura, sive Universum hoc, idemque ad entia determinata aliter se non habeat, quam totum per aggregationem ad partes quibus constat. DEUS namque & Natura passim ἰσοδυναμοῦντα ei sunt, & quod nunc huic, idem mox illi tribuere, imo partes Naturæ, ipsius DEI divinæque essentiæ partes conceptis verbis appellare non dubitat. Ita quum Ethices parte IV, propositio IV. sic habeat: *Fieri non potest, ut homo non sit Naturæ pars*; demonstratio subjungitur hujusmodi, pag. 169. *Potentia, qua res singulares, & consequenter homo, suum esse conservat, est ipsa DEI SIVE NATURÆ potentia; non quatenus infini-*

finita est, sed quatenus per humanam actualem essentiam explicari potest. Potentia itaq; hominis, quatenus per ipsius actualem essentiam explicatur, PARS est INFINITÆ DEI SEU NATURÆ potentiæ, hoc est (per propos. 7. part. 3.) *ESSENTIÆ.* Simili ratione parte II. ejusdem libri, in corollario propositionis XI, (cum quo loco confer epistolam XV, *mentem humanam partem esse* docet *infiniti intellectus DEI: ac proinde*, ait, *cum dicimus, mentem humanam hoc vel illud percipere, nihil aliud dicimus, quam quod DEUS, non quatenus infinitus est, sed quatenus per naturam humanæ mentis explicatur, sive, quatenus HUMANÆ MENTIS ESSENTIAM CONSTITUIT, hanc vel illam habet ideam.* Cui geminum quod scribit ibidem definitione I: *Per Corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus ut res extensa consideratur, certo & determinato modo exprimit.* Nempe, secundum phreneticam Spinosæ Theologiam, *Extensio attributum Dei est, sive, DEus est res extensa*; l. c. propos. II. Quod non ita accipiendum, quasi Anthropomorphitarum forte errori ille sit addictus; sed explicandum ex definitione, parte I. Eth. propos. XI, & epist. II, tradita, qua DEUS esse dicitur *substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodq; æternam & infinitam essentiam exprimit.* Videlicet Attributa auctori heic nihil aliud sunt quam partes Universi, sive entia determinata, hoc vel illo modo DEUM, id est, Naturam, tamquam totum, in quo sunt & existunt, exprimentia. Refer huc locum quem sub finem num. XV. dedimus, & adde quæ leguntur epistola II: *Natura Universi non est limitata, sed absolute infinita; ideo ab hac infinitæ potentiæ ejus partes infinitis modis moderantur, & infinitas variationes pati coguntur.* Quando igitur Extensionem DEI attributum esse dicit Spinosa, perinde est, ac si diceret, res extensas pertinere ad DEUM, id est, Naturam, sive hoc Universum, tamquam partes ad suum totum; & quando DEUM dicit esse rem extensam, significare vult, DEUM, seu mundum hunc, spectatum ratione corporis, sive, prout per

cor-

corpus, tamquam sui partem, certo & determinato modo exprimitur, esse rem extensam. Hæc, inquam, sunt profunda illa spinosæ sapientiæ de DEO mysteria. Quibus cum ceteras omnes impietates suas superstruat profanus Theologaster, nihil tamen minus agit verbosis suis disputationibus, quam ut ulla idonea probatione ea fulciat; sed ubique, velut certissima axiomata, sua ista deliria præsupponit: nisi quod frontis adeo sit perfrictæ, ut ex ipso Codice sacro patrocinium illis quærere haud vereatur, vocans scilicet in subsidium Paulina illa, Act. XVII, 28. *In ipso (DEO) vivimus, & movemur, & sumus;* trahens item huc, tum in fronte Tractatus Theologico-Politici, tum ejusdem cap. XIV, pag. 162. verba S. Johannis, 1. Epist. IV, 13. *Per hoc cognoscimus, quod in DEO manemus, & DEus manet in nobis, quod de Spiritu suo dedit nobis.* Quasi nempe his similibusve locis homines in DEO esse dicerentur ut partes in toto; & non potius significaretur DEI vis atque potentia, qua & initio conditi sumus, & conditi sustentamur, fovemur, vegetamur; modus item innueretur manendi in DEO, non corporalis, sed spiritualis, per fidem scil. in JESUM, Filium DEI, 1. Joh. IV, 15. Confer Rom. XI, 36.

XVII. Ne vero ullus remaneat scrupulus, sed ipsa luce clarius evadat, Spinosam non agnoscere DEUM, qui mundi hujus conditor sit, eundemque gubernet, & ipsi prospiciat, supra allatis testimoniis adjicimus locum ex Appendice partis I. Ethices; ubi palam in eos invehitur homo extreme profanus, qui *credere non potuerint*, creaturas *se ipsas fecisse*; sed concluserint, *dari aliquem, vel aliquos naturæ rectores, humana præditos libertate, qui ipsis omnia curaverint, & in eorum usum omnia fecerint. Atq; horum etiam*, ait, *ingenium, quandoquidem de eo nunquam quid audiverant, ex suo judicare debuerunt: atq; hinc statuerunt, Deos omnia in hominum usum dirigere, ut homines sibi devinciant, & in summo ab iisdem honore habeantur; unde factum, ut unusquisq; diversos DEUM colen-*

cotendi modos ex suo ingenio excogitaverit, ut DEus eos supra reliquos diligeret, & totam Naturam in usum cæcæ illorum cupiditatis & insatiabilis avaritiæ dirigeret. - Vide, quæso (ita pergit) *quo res tandem evasit! Inter tot Naturæ commoda non pauca reperire debuerunt incommoda, tempestates scil. terræ motus, morbos, &c. atq; hæc statuerunt propterea evenire, quod Dii irati essent ob injurias sibi ab hominibus factas, sive ob peccata in suo cultu commissa. Et quamvis experientia indies reclamaret, ac infinitis exemplis ostenderet, commoda atq; incommoda piis æque ac impiis promiscue evenire, non ideo ab inveterato præjudicio destiterunt. - Pro certo statuerunt, Deorum judicia humanum captum longissime superare. Quæ sane unica fuisset causa, ut Veritas humanum genus æternum lateret, nisi Mathesis aliam Veritatis normam hominibus ostendisset.*

XIIX. Ubi vide summe impia flammisque infernalibus digna profani hominis axiomata: Creaturas se ipsas fecisse, Cœlique & Terræ conditorem nullum dari, Providentiam nullam; atque inanem esse omnem cultum, qui ob accepta vel sperata beneficia DEo impendatur, vanumque metum, qui ob eumdem offensum concipiatur! Et tamen adeo impudens est ac sine omni fronte maledictus iste hypocrita, ut negare ausit, quidquam docuisse se, quod Pietati, bonis moribus, & religiosæ virtutis praxi possit derogare: uti non solum ex iis quæ jam supra, num.v, e Tractatu ipsius Theologico-Politico recitavimus, sed ex epistola quoque ejus XIX, apparet. Scripserat videlicet ad eum Henr. Oldenburgius, epistola quæ in opere Spinosæ Epistolico est XIIX: *Permittas, quæso, te moneam ex affectus in me tui sinceritate, ne quicquam misceas* doctrinis tuis novis, quas publicas, *quod religiosæ Virtutis praxin labefactare ullatenus videatur: maxime, cum degener & flagitiosa hæc ætas nil venetur avidius, quam dogmata ejusmodi, quorum conclusiones grassantibus vitiis patrocinari videantur.* Ad hæc Spinosa, sequenti, quam modo citabamus,

epistola: *Maximas ago gratias pro amicissima tua admonitione. Cujus tamen ampliorem explicationem desidero; ut sciam, quænam ea dogmata esse credas, quæ religiosæ Virtutis praxin labefactare viderentur. Nam quæ mihi cum Ratione convenire videntur, eadem ad Virtutem maxime utilia esse credo.* Ibi vero Oldenburgius, epistola XXII: *Dicam, quid sit rei, quod potissimum* librorum tuorum lectores *excruciet. Fatalem videris rerum & actionum omnium necessitatem adstruere: atqui illa concessa assertaq; Legum omnium, omnis Virtutis & Religionis incidi nervos, omnesq; remunerationes & pœnas inanes esse autumant.*

XIX. Scilicet hanc omnium entium, per naturalium causarum æternam immutabilemque coordinationem & concatenationem, in agendo ac movendo necessitatem, passim in scriptis suis & toties Spinosa inculcat, ut supervacaneum videatur, specialia loca velle eam in rem citare aut recitare. Unum dumtaxat dabimus testimonium, ex præfatione partis IV. Ethices. *Ostendimus*, ait ibi, *in primæ partis Appendice, Naturam propter finem non agere. Æternum namq; illud & infinitum ens, quod DEUM SEU NATURAM appellamus, eadem qua existit, necessitate agit. Ex qua enim Naturæ necessitate existit, ex eadem ipsum agere ostendimus* (prop. 16. p. 1.) *Ratio igitur, seu causa, cur DEUS SEU NATURA agit, & cur existit, una eademq; est. Ut ergo nullius finis causâ existit, nullius etiam finis causâ agit; sed ut existendi, sic & agendi principium vel finem habet nullum.* Hæc, inquam, in Ethica Spinosæ habentur, libro, quem præ ceteris suis scriptis æstimasse videtur auctor, quum ejus nominatim impressionem paulo ante obitum mandaverit, forte ut fidei suæ confessionem, qua nixus in Cœlum jamjam descensurus erat; publice editam posteritati hoc pacto commendatum iret. Verum ad superiora regrediamur.

XX. Ostensum est hucusque plus satis, DEI existentiam a Spinosa simpliciter negari. Quod vero idem non minus, Diabolum

bolum existere, inficietur, clare docet locus epistolæ LXXIV; ubi ad Albertum Burgh, suum olim discipulum, tunc autem a Reformatis ad Pontificios transgressum, ita scribit: *Cum mentis compos eras, DEUM infinitum, ni fallor, adorabas, cujus virtute omnia absolute fiunt & conservantur: jam vero principem DEI hostem somnias, qui invito DEO homines plerosq; (rari quippe boni) circumducit & decipit, quos propterea DEus huic scelerum magistro in æternum cruciandos tradit:* moxque illud de Diabolo dogma *absurdum* vocat; perinde ac Celsus, homo Gentilis; cujus, Christianos traducentis, verba, apud Origenem libro VI: Σφάλλονται ἀσεβέστατα ἄττα καὶ περὶ τήνδε τὴν μεγίστην ἄγνοιαν ὁμοίως ἀπὸ θείων αἰνιγμάτων πεπλανημένην, ποιοῦντες τῷ Θεῷ ἐναντίον τινα, Διάβολόν τε, καὶ γλώττῃ ἑβραία Σατανᾶν, ὀνομάζοντες τὸν αὐτόν. ἄλλως μὲν οὖν παντελῶς θνητὰ ταῦτα, καὶ οὐδ' ὅσια λέγειν, ὅτι δὴ ὁ μέγιστος Θεὸς, βουλόμενός τι ἀνθρώποις ἀφελῆσαι, τὸν ἀντιπράσσοντα ἔχει, καὶ ἀδυνατεῖ, *Falluntur, impie per summam ignorantiam decepti non intellectis divinis ænigmatibus, dum adversarium DEO quendam Diabolum faciunt, eundem Hebraice nominantes Satanam. Est enim omnino mortalis infirmitatis, & prorsus alienum a pietate, dicere, quod DEus maximus, volens benefacere hominibus, propter adversarium obnitentem id nequeat.* Ad quæ responsio Origenis loco memorato legi potest.

XXI. Uti autem neque DEUM neque Diabolum Spinosa credit, ita nec Cœlum aut Infernum, præmia aut supplicia futura, ut qui præsenti hac vita omnia terminari, nec post eam quidquam superesse censet, quod boni vel mali, gaudii vel doloris, sit capax. Quo spectat partis IV. Ethices propositio LXVII: *Homo liber* (id est, ut mox explicat, qui ex solo Rationis dictamine vivit) *de nulla re minus quam de Morte cogitat; & ejus Sapientia, non Mortis, sed Vitæ meditatio est.* At præcipue de hoc argumento, animæ, inquam, humanæ mortalitate, præmiisque & poenis post obitum haud exspectandis, agit parte V. Ethicæ

propos. XLI, XLII, & epistola XLIX; ubi sic in L. de v. invehitur: *An, quæso, ille omnem Religionem exuit* (hujus eum criminis postulaverat iste antagonista) *qui DEUM summum bonum agnoscendum statuit, eundemq. libero animo, ut talem, amandum? & quod in hoc solo nostra summa felicitas summaque libertas consistit? porro, quod præmium Virtutis sit ipsa Virtus; stultitiæ autem & impotentiæ supplicium sit ipsa stultitia? - Verùm videre puto, quo in luto hic homo hæreat. Nihil scilicet in ipsa Virtute & intellectu reperit quod ipsum delectet: & mallet ex impulsu suorum affectuum vivere, nisi hoc unum obstaret, quod poenam timet. A malis igitur actionibus, ut servus, invitus & fluctuante animo abstinet, & Divina mandata exequitur, & pro hoc servitio muneribus, ipso Divino amore longe suavioribus, a DEO honorari expectat SCILICET.* Adeo nimirum inverecundus est monstrosus hic Theologus, ut Christianis, præmia poenasve post obitum homini parata credentibus, tamquam sordidis mercenariis, insultare non dubitet, qui sola utilitatis spe omnia metiantur, & de quibus jure usurpes vulgatum illud:

Oderunt peccare mali, formidine Pœnæ;

quum de se suisque asseclis valeat alterum istud Horatii:

Oderunt peccare boni Virtutis amore.

XXII. Vide autem, in illo quam sit subdolus, quod, singularem præ se ferens pietatem, DEUM summum bonum agnoscendum esse dicit, eundemque, ut talem, amandum! Nempe quum DEUS nihil aliud ei sit quam Natura, sive hæc rerum Universitas, eo ipso quod DEUM pro summo bono agnoscendum, eundemque amandum esse ait, summum bonum in cognitione & amore hujus mundi, sive rerum naturalium, constituit. Quam interpretationem nec ipsemet alibi dissimulare potest. Nimirum Tractatus Theologico-Politici cap. IV, pag. 46. 47. itidem magnifice satis, *Legis divinæ summa*, inquit, *ejusq. summum præceptum est, DEUM ut summum bonum amare; nempe, ut jam diximus,*

non

non ex metu alicujus ſupplicii & pœnæ, nec præ amore alterius rei, qua delectari cupimus. - Hoc enim idea DEI dictat, DEUM ſummum eſſe noſtrum bonum, ſive, DEI cognitionem & amorem finem eſſe ultimum, ad quem omnes actiones noſtræ ſunt dirigendæ. Homo tamen carnalis hæc intelligere nequit, & ipſi vana videntur; quia nimis jejunam DEI habet cognitionem, & etiam, quia in hoc ſummo bono nihil reperit quod palpet, comedat, aut deniq; quod carnem, qua maxime delectatur, afficiat, utpote quod in ſola ſpeculatione & pura mente conſiſtit. At ii, qui norunt, ſe nihil intellectu & ſana mente præſtantius habere, hæc ſine dubio ſolidiſſima judicabunt. Ceterum quod non aliter, quam ut diximus, id acceptum velit, manifeſtis his verbis in eadem illa ſua de ſummo hominis bono diſquiſitione ſignificat: *Cum nihil ſine DEO nec eſſe nec concipi poſſit, certum eſt, omnia quæ in Natura ſunt, DEI conceptum, pro ratione ſuæ eſſentiæ, ſuæq; perfectionis involvere, atq; exprimere, ac proinde nos, quo magis res naturales cognoſcimus, eo majorem & perfectiorem DEI cognitionem acquirere.* Repete quæ ſupra, num. XVI, monuimus, & omnia luce erunt clariora.

XXIII. Videlicet perpetuus horum hominum mos eſt, tum ut aliorum offenſiones præveniant, tum ut occultiores incautioribus tendant inſidias, ita ſubinde ſtylum moderari, ne nimis longe a receptis Scripturæ & Eccleſiæ loquendi modis recedat, tametſi, quod ad res attinet & ſententiam, toto cœlo inde diſtent. Id quod inprimis ex propoſitis num. XII. fidei capitibus manifeſtum; quorum proinde conſiderationi aliquantum adhuc immorabimur.

XXIV. Indicium paulo ante fecimus, Spinoſam nec præmia nec pœnas poſt mortem agnoſcere; ſed præſentis vitæ cõmodis & incõmodis omnia, quæ homini accidere poſſunt, ab ipſo circumſcribi. Idem tamen dicto loco ſalutem & condemnationem admittere omnino videtur. Ait enim, artic. VI, omnes, qui recta vi-

vendi ratione DEO obediunt, *salvos esse*; reliquos autem, qui sub imperio voluptatum vivunt, *perditos*. & artic. VII. dicit: Nisi statueretur, DEUM pœnitentibus peccata condonare, *omnes de sua Salute desperarent*. Similiter sub finem capitis XV. Tractatus Theologico-Politici, *Nisi Scripturæ testimonium haberemus*, inquit, *de omnium fere Salute dubitaremus*. & epist. XXI: *Nemo absq;* DEI æterna sapientia *ad statum Beatitudinis potest pervenire*. Cujusmodi loquendi modis qui utitur, an de præmiis suppliciisque post fata imminentibus dubitare censendus erit? Verum meras præstigias esse, & inanes captiones, non solum ex ante allatis, sed & ex eodem illo loco, quem nunc speciatim consideramus, manifestum est. Vix enim ita, ut diximus, salutis & perditionis hominum mentionem auctor fecerat, ubi subjungit, nihil ad fidem pertinere, sive de præmio bonorum & pœna malorum naturali, sive supernaturali, ea quis accipiat. Et notetur, quod non dicat Spinosa, qui recta vivendi ratione DEO obediunt, eos salvos fore; sed eos *salvos ESSE*; ut scilicet de vitæ præsentis salute id possit interpretari. Quomodo etiam dixerat paulo ante: *Omnia huc tendere debent, nempe, dari ens suppremum, quod Justitiam & Charitatem amat, cuique omnes, ut salvi SINT, obedire tenentur*, quomodo item scribit epistola XLIX, qui DEUM cultu Justitiæ & Charitate erga proximum adorant, illos *salvos ESSE*. mittimus alia loca.

XXV. Porro quum memoratorum a Spinosa fidei articulorum VII. sit: *DEUM pœnitentibus peccata condonare*; utiq; videri vult auctor esse iis qui peccatis se inquinarunt, ut pœnitentiam agant, eaque DEI misericordiam provocent. Jam quid est, agere pœnitentiam? Id DEUS ipse docet Joël. II, 12, 13. dum ait: *Convertimini ad me ex toto animo vestro, & jejunio, & fletu, & planctu. Lacerate corda vestra*! docet his verbis Apostolus Jacobus, cap. IV, 9. *Sensu ærumnæ tangimini, & lugete, & flete. Risus vester in luctum con-*

convertatur, & gaudium in mœrorem. Atque hac ratione pœnitentiam egit David, Pſ. VI, 4. ſeqq. XXXIIX, 4. ſeqq. cap. II, 4. ſeqq. Petrus, Matth. XXVI, 75. peccatrix illa quæ lacrymis rigavit pedes Domini, Luc. VII, 38. An ergo talis Spinoſæ probatur Pœnitentia? Imo vero parte IV. Ethices, in ſcholio propoſitionis XLV, palam ille, *Mea*, inquit, *hæc eſt ratio, & ſic animum induxi meum: Nullum Numen, nec alius, niſi invidus, meâ impotentiâ & incommodo delectatur, nec nobis lacrymas, ſingultus, metum, & alia hujusmodi, quæ animi impotentis ſunt ſigna, virtuti ducit.*

XXVI. Et quid eſt, obſecro, Spinoſæ: *DEUM pœnitentibus peccata condonare?* vel, ut mox loquitur: *DEUM ex miſericordia, & gratia qua omnia dirigit, hominum peccata condonare?* An ergo ille agnoſcit Peccata, in quæ Deus vi juſtitiæ ſuæ animadvertat, quæque, niſi interventu divinæ gratiæ & miſericordiæ, impunita non maneant? annon, jamjam citato loco, ſcholio II, propoſitionis XXXVII, rotunde ſatis profitetur, non dari Peccatum niſi in ordine ad Civitatem, ſi ſcilicet debitam ei obedientiam quis deneget; indeque ſolo etiam Civitatis jure peccata puniri? En ipſa ejus verba. *Facile intelligimus*, ait, *nihil in ſtatu naturali dari quod ex omnium conſenſu bonum aut malum ſit: quandoquidem unusquisq;, qui in ſtatu eſt naturali, ſuæ tantummodo utilitati conſulit, & ex ſuo ingenio, & quatenus ſuæ utilitatis tantum habet rationem, quid bonum quidve malum ſit, decernit, & nemini, niſi ſibi ſoli, obtemperare lege ulla tenetur, atq; adeo in ſtatu naturali Peccatum concipi nequit: at quidem in ſtatu civili, ubi & communi conſenſu decernitur, quid Bonum quidve malum ſit, & unusquisq; Civitati obtemperare tenetur. Eſt itaq; Peccatum nihil aliud, quam Inobedientia, quæ propterea ſolo Civitatis jure punitur; & contra Obedientia civi meritum ducitur, quia eo ipſo dignus judicatur qui civitatis commodis gaudeat.* Quibus gemina quæ in Tractatu Politico cap. II, 18. 19. leguntur. Nam & ibi tradit, *in ſtatu naturali non dari peccatum; quan-*

quandoquidem, inquit, *nemo jure Naturæ alteri, nisi velit, morem gerere tenetur, nec aliquid bonum aut malum habere, nisi quod ipse ex suo ingenio bonum aut malum esse decernit; & nihil absolute Naturæ jure prohibetur, nisi quod nemo potest. - Peccatum itaque*, concludit tandem, *non nisi in imperio concipi potest, ubi scilicet, quid Bonum & quid Malum sit, ex communi totius imperii jure decernitur, & ubi nemo jure quicquam agit, nisi quod ex communi decreto vel consensu agit.* Præcipue vero spectant huc illa Tractatus Theologico-Politici, cap. XIX, pag. 215. *In statu naturali Peccatum concipere non potuimus, nec DEUM tanquam Judicem homines propter peccata punientem; sed omnia secundum leges universæ naturæ communes ferri, & eundem casum (ut cum Salomone loquar) justo ac impio, puro ac impuro, &c. contingere; & nullum locum Justitiæ nec Charitati esse.*

XXVII. Quæ postrema simul indicant, de eo quid statuendum, quod in Justitia & Charitate erga proximum universæ Religionis cultusque divini summam toties auctor collocat. Nempe non aliam ille agnoscit Justitiam & Charitatem, quam quæ meris hominum placitis, conventionibus, summique imperii civilis auctoritate nititur; quibus sepositis, secundum ipsius Philosophiam, omnis cessat Justitia, omnis Charitas. Id quod clarius mox exprimit, ubi scilicet jamjam recitatis verbis hæc subjungit: *Ut veræ rationis documenta, hoc est, (ut in cap. IV. circa Legem divinam ostendimus) ipsa divina documenta vim Juris absolute haberent, necesse fuisse, ut unusquisque Jure suo naturali cederet, & omnes idem in omnes, vel in aliquot, vel in unum transferrent: & tum demum nobis primum innotuit, quid Justitia, quid injustitia, quid æquitas, quidque iniquitas esset. Justitia igitur, & absolute omnia veræ Rationis documenta, & consequenter erga proximum Charitas, à solo Imperii jure, hoc est (per ea quæ in eodem capite ostendimus) à solo eorum decreto qui jus imperandi habent, vim Juris & mandati accipiunt.* Quod repetens infra, cap. XX, pag. 228. *Justitia,*

stitia, inquit, *à solo summarum potestatum decreto pendet; adeoq; nemo, nisi qui secundum earum recepta decreta vivit, Justus esse potest.* Uti etiam in Tractatus hujus præfatione scribit, *eos qui summum imperium tenent, solos jus habere discernendi, quid justum, quid Injustum, quid Pium, & quid Impium sit.*

XXIIX. Ubi quæres fortasse, quid ergo *Jus* illud *Naturale* sit, quo unicuiq; cedendum, quodq; in omnes, vel aliquot, vel unum, transferendum esse docet noster ille Theologo-Politicus, si constare debeat, quid Justitia sit, quid injustitia? Heic vero Spinosã, quantus quantus est, Hobbesianum esse scias: nisi quod in nonnullis longe illo deterior est, magisque impius. Etenim Hobbius, libro de Cive, cap. 1, 10. suam de Jure & statu Naturæ sententiam his proponit verbis: *Natura dedit unicuiq; jus in omnia; hoc est: in statu mere naturali, sive, antequam homines ullis pactis sese invicem obstrinxissent, unicuiq; licebat facere quæcunq; & in quoscunq; libebat, & possidere, uti, frui, omnibus, quæ volebat & poterat.* - Unde *sequitur, omnia habere & facere in statu Naturæ omnibus licere. Et hoc est quod vulgo dicitur: Natura dedit omnia omnibus. Ex quo etiam intelligitur, in statu Naturæ mensuram Juris esse UTILITATEM.* Quid vero Spinosa? *Uniuscujusq;*, ait, *individui naturale Jus eousq; se extendit, quo ejus Potentia: & consequenter, quicquid unusquisq; homo ex legibus suæ naturæ agit, id summo Naturæ jure agit; tantumq; in Naturam habet Juris quantum potentia valet;* Tract. Politico cap. II, 4. & Tractatu Theologico-Politico cap. XVI, sub initium, hæc habet: *Per jus & institutum Naturæ nihil aliud intelligo, quam regulas naturæ uniuscujusq; individui, secundum quas unumquodq; naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. Ex. gr. Pisces à natura determinati sunt ad natandum, magni ad minores comedendum; adeoq; pisces summo naturali jure aqua potiuntur, & magni minores comedunt. Nam certum est, Naturam absolute consideratam jus summum habere ad omnia quæ potest, hoc est,*

jus Naturæ eousq; se extendere, quousq; ejus potentia se extendit. Et quia lex summa Naturæ est, ut unaquæq; res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idq; NULLA ALTERIUS, SED TANTUM SUI HABITA RATIONE; hinc sequitur, unumquodq; individuum jus summum ad hoc habere. Jus itaq; Naturale uniuscujusq; hominis non sana ratione, sed cupiditate & potentia determinatur. Atque ex hoc fonte manarunt propositiones XX, XXII, XXIV, partis IV. Spinosæ Ethices; quarum prima (per sequentes confirmata) hæc est: *Quo magis unusquisq; suum utile quærere, hoc est, suum esse conservare conatur, eo magis Virtute præditus est: & contra, quatenus unusquisq; suum utile, hoc est, suum esse conservare negligit, eatenus est impotens:* manarunt ex eodem quæ habentur in Tractatu Politico, (cui immortuus est Spinosa) cap. III, 13. 14. 17. *Si altera civitas alteri bellum inferre, & extrema adhibere media velit, quò eam sui juris faciat, id de jure tentare licet: quandoquidem, ut bellum geratur, ei sufficit ejus rei habere voluntatem. At de pace nihil statuere potest nisi connivente alterius civitatis voluntate. Ex quo sequitur, Jura belli uniuscujusq; civitatis esse, pacis autem non unius, sed duarum minimùm civitatum esse jura, quæ propterea confœderatæ dicuntur. Hoc fœdus tamdiu fixum manet, quamdiu causa fœderis pangendi, nempe metus damni, seu lucri spes, in medio est; hoc autem aut illo civitatum alterutri adempto, manet ipsa sui juris, & vinculum quo civitates invicem adstrictæ erant, sponte solvitur, ac proinde unicuiq; civitati jus integrum est solvendi fœdus, quandocunq; vult, nec dici potest, quod dolo vel perfidia agat, propterea quod fidem solvit simulatq; metus vel spei causa sublata est. - Si quæ ergo civitas se deceptam esse queritur, ea sane non confœderatæ civitatis fidem, sed suam tantummodo stultitiam damnare potest; quod scilicet salutem suam alteri, qui sui juris, & cui sui imperii salus summa lex est, crediderit. - Ceterum fides, quam sana ratio & religio servandam docet, hic minime tollitur. - Nam cum Scriptura non nisi in genere doceat fidem servare, & casus singulares, qui excipiendi sunt, uniuscuiusque judicio relinquat, nihil ergo docet, quod iis, quæ modo ostendimus, repugnat.* XXIX.

XXIX. Hæc nimirum Justitia illa est, hæc illa erga proximum Charitas, quam toties Spinosa ingeminat, & de qua non veretur scribere nequissimus impostor, epist. LXXIV: *Est Justitia & Charitas unicum & certissimum veræ fidei Catholicæ signum, & veri Spiritus sancti fructus. Et ubicumque hæc reperiuntur, ibi Christus revera est; & ubicumq; desunt, deest Christus. Solo namq; Christi spiritu duci possumus in amorem Justitiæ & Charitatis.* O sacrosanctum Diabolum! Ceterum ne nescias, qualem CHRISTI spiritum heic auctor intelligat, dabimus verba ejus ex epistola XLIX: *Quod ad ipsos Turcas & reliquas Gentes attinet, si DEUM cultu Justitiæ & Charitate erga proximum adorent, eosdem Spiritum Christi habere credo, & salvos esse; quicquid de Mahomete & oraculis ex ignorantia persuasum habeant.* Quibus conformiter in Tractatu Theologico-Politico cap. V, pag. 65. *Si quis*, inquit, *historias S. Scripturæ legerit, eique in omnibus fidem habuerit, nec tamen ad doctrinam, quam ipsa iisdem docere intendit, attenderit, nec vitam emendaverit, perinde ipsi est, ac si Alcoranum, aut Poëtarum fabulas Scenicas, aut saltem communia Chronica, ea attentione qua vulgus solet, legisset: & contra, uti diximus, is qui eas plane ignorat, & nihilominus salutares habet opiniones, veramque vivendi rationem, is absolute beatus est, & revera Christi Spiritum in se habet. Puta eumdem in modum, quo Spiritum sanctum Orpheo tribuit Christianæ fidei cavillator Celsus, apud Origenem libro VII, vocans nimirum Orphea ἄνδρα ὁμολογούμενως ὁσίῳ χρησάμενον πνεύματι, virum sine controversia sancto afflatum spiritu.*

XXX. Scilicet dum videri vult magnifice de CHRISTO sentire Spinosa, multumque ipsi in salutis negotio tribuere, more suo, id est, dolose ac fraudulenter, etiam heic agit. Sic in Tractatu Theologico Politico cap. I, pag. 7. *Non credo* inquit, *ullum alium ad tantam perfectionem supra alios pervenisse præter Christum; cui DEI placita, quæ homines ad salutem ducunt, sine verbis, aut visionibus, sed immediate, revelata sunt: adeo ut DEus per mentem Chri-*

sui sese Apostolis manifestaverit, ut olim Mosi mediante voce aërea. Et ideo vox Christi, sicuti illa quam Moses audiebat, vox DEI vocari potest. Et hoc sensu etiam dicere possumus, Sapientiam DEI, hoc est, Sapientiam quæ supra humanam est, naturam humanam in Christo assumpsisse, & Christum viam salutis fuisse. Ubi quot verba, tot fraudes, fallaciæ, portenta. Potest autem jamjam recitato loco jungi alius non minus illustris, ex epistola XXI: *Dico, ad salutem non esse omnino necesse, Christum secundum carnem noscere. Sed de æterno illo filio DEI, hoc est, DEI æterna Sapientia, quæ sese in omnibus rebus, & maxime in mente humana, & omnium maxime in Christo Jesu, manifestavit, longe aliter sentiendum. Nam nemo absq; hac ad statum beatitudinis potest pervenire, utpote quæ sola docet, quid verum & falsum, bonum & malum sit. Et quia, uti dixi, hæc sapientia per Jesum Christum maxime manifestata fuit, ideo ipsius discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis fuit revelata, prædicaverunt, seseque Spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse ostenderunt.*

XXXI. Quumque urgeret Oldenburgius, ut quam teneret de CHRISTO sententiam clarius profiteretur Spinosa, amico tanto gratificaturus, hanc tandem confessionem ille edidit: resurrectionem & adscensionem CHRISTI, si historice & secundum literam accipiantur, nequaquam a se agnosci. Videantur epistola XXIII. & XXIV. Quo posteriori loco sic inter alia ad Oldenburgium scribit, anno clɔ lɔc LXXV, adeoque biennio ante infelicem suum obitum: *Christi passionem, mortem, & sepulturam, tecum literaliter accipio, ejus autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab Evangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Evangelistas credidisse, Christi corpus resurrexisse, & ad cœlum ascendisse, ut ad Dei dextram sederet; & quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit: in quo tamen, salvâ Evangelii doctrinâ, potuerunt decipi.*

XXXII.

XXXII. Jures, e blasphemi illius Celsi penu & hæc deprompsisse Spinosam, ita ei conformiter loquitur. Sane ab eodem impulsum ac edoctũ Spiritu utrumq; scripsisse, res ipsa clamat, Spiritu, inquam, non CHRISTI, sed Diaboli. Docet Historia Evangelica, Luc. XXIV, 36. seq. quum post resurrectionẽ congregatis discipulis conspiciendũ se daret CHRISTUS, illi vero turbarentur, & spiritum, sive spectrum aut phantasma, videre se putarent, Dominum, ut corporis sui suæque resurrectionis veritatem probaret, manus pedesque iis ostendisse, quumque adhuc præ gaudio nondum crederent, etiam cepisse cibum. Nempe fieri non potest, ut in hac vita constitutis hominibus veritas corporis aliter probetur, quam colore, figura, progressu, sermone, tactu, esu, potu. Quibus proinde signis & indiciis evidentibus Salvator Apostolos convincere voluit, tandemque etiam convicit. At si Spinosam audimus, omnino decepti fuerunt discipuli, nec revera conspexerunt, quem conspicere sibi videbantur, CHRISTUM; sed a spectro quodam sunt illusi, & tunc, & quoties alias Dominum videre se, cumque eo conversari, existimarunt. Hæc scilicet antiqua illa est nefarii Celsi cantilena; de quo Origenes, libro contra ipsum II: βέλεσθαι κοινωνιεῖν τοὺς ἔπειτα φαντάσμασι καὶ ἄλλοις φαντασθέντας τὸν Ἰησοῦν, καὶ ὀφθέντας αὐτὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ὁ Κέλσος, *Celsus Jesu post resurrectionem apparitiones conferre conatur cum vulgaribus spectris & visionibus.* Imo pro tanta impietate stabilienda eodem quoque argumento uterque impostor utitur. Nempe CHRISTUM revera post resurrectionem non fuisse conspectum, Spinosa inde conatur persuadere, quod *non Senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium, sed sanctis tantummodo, apparuerit:* hæc enim ejus est ratio epist. XXIII, repetita etiam epistola sequenti. Similiter vero Celsus: ἐχρῆν, εἴπερ ὄντως θείαν δύναμιν ἐκφῆναι ἤθελεν ὁ Ἰησοῦς, αὐτοῖς τοῖς ἐπηρεάσασι, καὶ τῷ καταδικάσαντι, καὶ ὅλως πᾶσιν ἐφῆναι, *Si Jesus volebat revera declarare suam divinam potentiam,*

debuerat ſuis inſultatoribus, ipſiq; Præſidi, qui capitalem ſententiam contra ſe tulerat, denig; ceteris omnibus ſe oſtendere; ut ipſius verba Origenes dicto loco recitat, ſimul eorundem mox refutationem ſubjungens.

XXXIII. Vide autem extremam heic & plane diabolicam Spinoſæ impietatem! Munus Apoſtolorum erat præcipuum, ut Reſurrectionis & Adſcenſionis CHRISTI teſtes eſſent omni exceptione majores, quippe qui converſati fuerant, comederantque & biberant cum eo, poſtquam reſurrexerat a mortuis, Act. x, 41. Unde quum in locum proditoris Judæ eligendus eſſet Apoſtolus, *Oportet*, inquiebat S. Petrus, *ex iis viris qui nobiſcum convenerunt toto tempore quo Dominus Jeſus verſatus eſt inter nos, exorſus a baptiſmo Joannis, ad eum usque diem quo ſurſum receptus eſt a nobis, unum fieri nobiſcum TESTEM RESURRECTIONIS EJUS*, Act. I, 21. 22. Idemque Petrus in ſua ad Judæos habita concione Pentecoſtali elata voce clamabat: *Viri Iſraëlitæ, audite ſermones iſtos: Jeſum illum Nazaræum - DEUS ſuſcitavit, ſolutis doloribus mortis*, Act. II, 22. 24. & rurſus, com. 32. *Hunc Jeſum ſuſcitavit DEUS. Cujus rei omnes nos ſumus teſtes.* uti etiam de Aſcenſione tunc dicebat teſtimonium, comm. 33. ſeqq. Similiter de ſanato per miraculum claudo ad populum verba faciens idem Apoſtolus, *Principem interemeſtis vitæ*, ajebat, *quem DEUS ſuſcitavit ex mortuis. Cujus rei nos teſtes ſumus*; Act. III, 15. 26. Adde quæ eamdem in rem habentur Act. x, 40. IV, 2. 10. 33. ubi Apoſtoli generatim *magna vi reddidiſſe teſtimonium* dicuntur *Reſurrectionis Domini Jeſu*. quod etiam confirmatur cap. V, 30. Porro S. quoq; Paulum teſtem fuiſſe Reſurrectionis Dominicæ locupletiſſimum, ex iisdem illis Actis Apoſtolicis cap. XIII, 30. ſeqq. conſtat; ubi legitur, in Synagoga Antiochena ad Judæos ſermone habito, ſic auditores compellaſſe: *DEUS ſuſcitavit* Jeſum *ex mortuis; qui conſpectus eſt per dies multos iis qui ſimul aſcenderant cum eo a Galilæa Hieroſolymam, ſunt-*

sunt & testes ejus apud populum. Et nos vobis evangelizamus eam promissionem quæ Patribus facta est, DEUM videlicet eam implevisse filiis illorum, id est, nobis, suscitato Jesu. Quibus similia concionatus est Thessalonicæ, Athenis, Cæsareæ, & alibi. Videantur Act. XVII, 3. 31. XXV, 19. XXVI, 23. & Epistolæ Paulinæ passim, inprimis 1. Cor. XV, 14. seqq. ubi singulari zelo Apostolus, *Quodsi*, inquit, *CHRISTUS non est suscitatus, vanum videlicet est præconium nostrum, vana autem est etiam fides vestra: invenimur autem etiam falsi DEI testes; quoniam de DEO testificati sumus, eum suscitasse CHRISTUM.* Dum proinde CHRISTUM resurrexisse negat Spinosa, Apostolos, qui tanto conatu resurrectionem illam universo orbi & voce & scriptis persuadere conati sunt, mendacii & impostura manifesto arguit, ipse impostor omnium maximus, fidemque & doctrinam Christianam, quippe resurrectioni CHRISTI potissimum innixam, quantum in ipso est, subruit ac evertit funditus.

XXXIV. Subsisteremus heic, ni ad rectius intelligenda, quæ num. XXVII. diximus, aliqua adhuc adjicienda viderentur. Docuimus supra, sect. II, 5. seqq. Hobbianam Theologiam huic præcipue fundamento inniti, quod a summæ potestatis civilis arbitrio omnia pendeant quæ ad Religionem pertinent, quodque hujus judicio absolute & simpliciter acquiescendum sit, cujuscumque etiam sint commatis quæ ut fidei dogmata amplectenda proponit, & sive tuomet judicio vera illa esse statuas, sive falsa & absurda. Idem istud passim inculcat ac propugnat Spinosa. Ita Tract. Theologico-Polit. cap. XVI, sub finem scribit: *summæ potestati, cui soli jura imperii conservare & tutari tam jure divino quam naturali incumbit, jus summum competere de Religione statuendi quicquid judicat, & omnes ad ejusdem de eadem decreta & mandata, ex fide ipsi data, quam DEUS omnino servari jubet, obtemperare teneri*, etiam *si ii, qui summum tenent imperium, sint Ethnici.* & cap. XIX, sub initium: *Cum supra dixi*, ait, *eos qui imperium tenent, jus*

ad

ad omnia solos habere, & a solo eorum decreto jus omne pendere, non tantum civile intelligere volui, sed etiam sacrum. Nam hujus etiam & Interpretes esse debent, & Vindices. ac paulo post: *Religionis cultus, & Pietatis exercitium, Reipublicæ paci & utilitati accommodari, & consequenter a solis summis potestatibus determinari debet, quæque adeo ejus etiam interpretes debent esse.* Eadem aliquoties deinde repetit hoc capite. Sed & capite sequenti xx, pag. 227. asserit, nihil contra summarum potestatum decretum agere hominem oportere, *etiamsi sæpe contra id, quod bonum judicat, & palam sentit, agere debeat. Quod quidem*, inquit, *salva Justitia & Pietate facere potest; imo debet, si se justum & pium præstare vult.*

xxxv. At rogabis heic non immerito: qui Spinosæ sententia ista, quod in negotio Religionis Magistratus placito & constitutioni absolute acquiescendum sit, consistere queat cum *libertate* illa *philosophandi*, quam *non tantum salva Pietate & Reipublicæ pace posse concedi; sed* etiam *nisi cum Pace Reipublicæ ipsaque Pietate tolli non posse*, tanto conatu idem propugnat, ut totum suum Tractatum Theologico-Politicum primario huc tendere, in ipsa libri fronte sive titulo faciat indicium; uti speciatim capite xx. sive ultimo illius libri ostendere satagit: *in libera Republica unicuique, & sentire quæ velit, & quæ sentiat dicere licere.*

xxxvi. Ubi sciendum, quod distinguat auctor, eodem illo memorati Tractatus capite, pag. 227. inter jus *agendi*, & jus *ratiocinandi, judicandi, loquendi*; atque illo civibus adempto, istud merito iis relinquendum esse asserat. Ipsa ejus verba dabimus. *Jure*, inquit, *agendi ex proprio decreto unusquisq;* in Republica magistratui *tantum cessit, non autem ratiocinandi & judicandi; adeoq; salvo summarum potestatum jure nemo quidem contra earum decretum AGERE potest, at omnino SENTIRE, & JUDICARE, & consequenter etiam DICERE; modo simpliciter tantum dicat vel doceat, & sola ratione, non autem dolo, ira, odio, nec animo aliquid in rempublicam ex autho-*

authoritate sui decreti introducendi, defendat. Ex. gr. si quis legem aliquam sanæ rationi repugnare ostendit, & propterea eandem abrogandam esse censet, si simul suam sententiam judicio summæ potestatis (cujus tantum est, leges condere & abrogare) submittit, & nihil interim contra illius legis præscriptum agit, bene sane de republica meretur, ut optimus quisq; civis; sed si contra id faciat ad magistratum iniquitatis accusandum, & vulgo odiosum reddendum, vel seditiose studeat invito magistratu legem illam abrogare, omnino perturbator est, & rebellis. Videmus itaq;, qua ratione unusquisq;, salvo jure & authoritate summarum potestatum, hoc est, salva reipublicæ pace, ea quæ sentit dicere & docere potest; nempe si decretum rerum agendarum iisdem relinquat, & nihil contra earum decretum agat, etiamsi sæpe contra id, quod bonum judicat, & palam sentit, agere debeat.

XXXVII. Nimirum eo tendit Spinosæ hæc disputatio, ut obtineat, Atheis similibusque hominibus fanaticis impietates suas impune profiteri, voce & calamo divulgare, aliisque sine incommodo aut periculo persuadere, optimo jure licere. In quo evincendo ubi totus est, eousque progreditur, ut justum & pium esse doceat (recognosce quæ sub finem num. XXXIV. dedimus) in omnibus omnino actionibus, etiam iis quas malas & improbas esse nosti, magistratui obtemperare, utq; rerumpp. turbatores hominesq; rebelles eos vocet, qui contra magistratus decreta, etiam maxime impia, aliquid agunt. Quæ si recte se habent, pium fuisse oportet & justum Sacerdotem Uriam, quando Regi Achazo, cultum idololatricum per ipsum adornanti, adeo prompte in omnibus morem gessit, II. Reg. XVI, 11. 16. impios vero & rebelles Eliam, Jeremiam, Danielē, totq; Prophetas & viros sanctos alios, qui impia Deoque adversa Principium mandata ac decreta fecerunt nihili. Quod etiam tantum abest ut neget Spinosa, ut potius aperte scribat, execrandi Tractatus sui Theologico Politici cap. XIIX, pag. 209. *Notatu dignum est, quod Prophetæ, viri scilicet*

licet privati, libertate sua monendi, increpandi, & exprobandi, homines magis irritaverunt quam correxerunt : qui tamen, a Regibus moniti, vel castigati, facile flectebantur. Imo Regibus etiam piis sæpe intolerabiles fuerunt, propter authoritatem, quam habebant, iudicandi, quid pie vel impie factum esset, & vel Reges ipsos castigandi, si quod negotium publicum vel privatum contra eorum judicium agere sustinebant. Rex Assa, qui, ex testimonio Scripturæ, pie regnavit, Prophetam Hananiam in pistrinum dedit (vide 2. Paralip. cap. 16.) quia ipsum libere reprehendere & increpare sustinuit ob pactum cum Rege Armeniæ factum. Et præter hoc alia reperiuntur exempla, quæ ostendunt, Religionem plus detrimenti quam incrementi ex tali libertate accepisse. Ut jam taceam, quod hinc etiam, quod Prophetæ tantum sibi jus retinuerint, magna bella civilia orta fuerint. Quæ repetit capite sequenti XIX, pag. 222. Nec mitiorem feret sententiam hic Impietatis magister de primævis CHRISTI servis, qui mille mortes subire maluerunt, quam insuper habere illud Apostolicum: *Obedire oportet DEO magis quam hominibus*, Act. IV, 19. V, 20. Vide supra sect. II, 17. seqq. Sed tandem tot impiis monstrosisq; opinionibus recensendis defatigatam manum de tabula!

CONCLUSIO.

HÆc itaque sunt, quæ de Tribus illis famosis nostri temporis Impostoribus commentari hac vice visum est. Ubi, ut res ipsa loquitur, propositum nobis non fuit, vel veram contra Atheos & Naturalistas Ecclesiæ sententiam operose confirmare, vel, quibus ea oppugnatur, adversæ partis argutias in examen vocare curiosius: quod ferias heic fecerint nobis, tum qui de Veritate Religionis Christianæ libros dudum ediderunt, & pro auctoritate Scripturæ Sacræ ex instituto pugnarunt, tum qui peculiariter, sive adversus Herbertum, sive Hobbium, sive Spi-

Spinosam, calamos hucusque strinxerunt passim, viri doctissimi ac celeberrimi. Sed quum certum sit, & experientia nobis compertum, esse permultos, cetera quoque homines non malos, & singulari eruditione conspicuos, qui, tametsi ultro largiantur, non pauca haberi in novorum illorum Philosophorum scriptis omnino falsa, & seria animadversione digna, si tamen tribui iis audiant, quod tectis & fucatis argumentis Christianismum eliminare, ejusque loco merum Atheismum in orbem invehere conentur; quod priscis illis Ecclesiæ hostibus & calumniatoribus Ethnicis nihilo meliores sint, imo etiam longe pejores; quod Mosen, Prophetas, Apostolos, Christumque ipsum, impostturarum fraudumque postulent, & similia; cum stomacho id accipiant, rati, ad invidiam Naturalistis conflandam talia a morosioribus Theologis excogitari; hæc quum ita sint, inquam, & vero maximi interfit, ut, quo loco habendi istiusmodi auctores, accurate omnibus constet; præcisis longioribus disputationibus, de primario illorum scopo & proposito præsenti hac diatribe agendum duximus, productis in apricum, quæ variis artibus, ut incautioribus imponant, occultare solent deditaque opera intricare homines insidiosi. Et sane si usquam alias, heic omnino locum habent Hieronymi illa, epistola ad Ctesiphontem contra Pelagianos: *Sententias vestras prodidisse, superasse est. Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci quod sua statim professione blasphemum est.* Miraberis autem, scio, & indignaberis, religiose lector, ubi expenderis, eo deventum esse apud Christianos, ut impune scribantur, publiceque edantur, vendantur, legantur, quæ in ipsis hominibus Paganis ferre non potuit, sed jam olim generoso spiritu reprehendit, venerabilis Præsul Augustinus. Nempe quum Madaurenses idololatræ, in literis quibus Florentini cujusdam negotium ei commendaverant, hac essent for-

mula usi: *Patri Augustino in Domino æternam salutem!* respondit vir sanctus, epist. XLII: *Quid læsi, quid offendi benevolentiam vestram, ut me titulo epistolæ vestræ irridendum potius quam honorandum esse putaretis, Domini prædicabiles, & dilectissimi Fratres? Quod enim scripsistis: Patri Augustino in Domino æternam salutem! cum legerem, tanta spe subito erectus sum, ut crederem, vos ad ipsum Dominum, & ad ipsam æternam salutem, aut jam esse conversos, aut per nostrum ministerium desiderare converti. Sed ubi legi cetera, refriguit animus meus. Quæsivi tamen ab epistolæ perlatore, utrum jam vel essetis Christiani, vel esse cuperetis. Cujus responsione posteaquam comperi, nequaquam vos esse mutatos, gravius dolui, quod CHRISTI nomen, cui jam totum orbem subjectum esse conspicitis, non solum a vobis repellendum, sed etiam in nobis irridendum esse credidistis. Non enim potui cogitare alterum Dominum, secundum quem posset Episcopus Pater a vobis vocari, præter Dominum CHRISTUM. Et si esset hinc aliqua de interpretatione vestræ sententiæ dubitatio, subscriptione epistolæ tolleretur, ubi aperte posuistis: Optamus te, Domine, in Deo & Christo ejus per multos annos semper in Clero tuo gaudere! Quibus omnibus perlectis atq; discussis, quid mihi aliud occurrere potuit, aut cuilibet homini potest, nisi, aut veridico aut fallaci scribentium animo hæc esse conscripta? Sed si veridico animo ista scribitis, quis vobis ad hanc veritatem intercluſit viam? quis aspera dumeta substravit? quis rupium prærupta inimicus opposuit? postremo, quis basilicæ ianuam ingredi cupientibus clausit; ut in eodem Domino, per quem nos salutatis, eandem salutem nobiscum habere nolitis? Si autem fallaciter, atq; irridenter hæc scribitis, itane tandem mihi negotia vestra curanda imponitis, ut nomen ejus, per quem aliquid possumus, audeatis, non veneratione debita attollere, sed insultatione adulatoria ventilare?* Ad hunc modum, inquam, tunc B. Augustinus. Qui si nostra hac vixisset tempestate, quid dicturus fuisset, amabo? ubi, non inter Gentiles nati & educati idolorum cultores, sed) illi ipsi, qui CHRI-

STO

sto nomen in sacro Baptismo dederunt, fœdusque cum eo solemniter icerunt, hunc mundi Sospitatorem in publicis Commentariis fallaci animo irridendum potius quam honorandum esse putant, divinumque ejus nomen, & cœlestem doctrinam, non veneratione debita attollere, sed insultatione adulatoria ventilare audent: ut de ipsorum scriptis merito usurpes illud Salviani Massilienſis, de Gubernatione Dei lib. 1: *Tam stulta sunt, & tam frivola, ut cavendum sit, ne id ipsum, quod pro honore DEI dicitur, injuria DEI esse videatur. Tanta quippe est*, ait, *Majestatis sacræ & tam tremenda reverentia, ut non solum ea, quæ ab illis contra Religionem dicuntur, horrere, sed etiam quæ pro Religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu ac disciplina dicere debeamus.* Enimvero iram Dei æternumque exitium sibi attrahit sine ullo dubio quisquis Christum ejusque religionem ludibrio habet, sive inter Gentiles, sive inter Judæos, sive inter Muhammedanos, sive denique inter Christianos natus sit & institutus: infernale supplicium merentur quotquot in Dei verbum cœlestemque doctrinam injurii sunt, seu extra seu intra Ecclesiæ agant pomœrium: longe interim deteriorem esse horum quam illorum conditionem, nemo, qui rem recte consideret, inficiari poterit. Nimirum difficultates non sunt exiguæ, e quibus eluctari oportet, victas veritati manus daturus, qui impietatem a majoribus suis accepit, eamque a teneris unguiculis edoctus est. Quam enim ægre excutiatur quod hunc in modum animo impressum, e testimoniis constat quæ sect. 11, 19. dedimus. Suntque præterea occupatæ non raro infidelium mentes omnis generis formidabilibus de Christianismo persuasionibus, quibus ad concipiendum acerbissimum in Christum ejusque servos odium excitantur, quod in blasphemias tandem erumpit, seu in *sacrilegas facetias*, & *festivas contumelias*, ut loquitur, illum Christianismi irrisorem, Maximum Madaurensem, re-

darguens, epistola XLIV, S. Augustinus. Ita Christiani primævi, quod caput asininum venerarentur, quod Antistitum adorarent genitalia, quod Thyestеas epulas instruerent, & Oedipodeo delectarentur concubitu, similiumque horrendorum criminum adeo audacter insimulabantur, ut viri etiam sapientissimi (inter quos ipse fuit Justinus, Philosophus ille Platonicus, & postea CHRISTI martyr) famæ isti crederent. Quumque variæ calamitates, ut bella, pestes, sterilitates, eluviones, miseram mortalitatem lancinabant, omnia ista incommoda Christianæ solebant doctrinæ imputari, qua offensus Deorum cœtus, tot tantasque miserias humano generi immitteret. Quos proinde placaturi Gentiles, non solum exquisitissimis corporum cruciatibus in nostros sæviebant, sed & stylo eorumdem religionem, tamquam omnium malorum causam, magno nisu impetebant. Accedebat, quod, quo magis crescerent, & quo majora caperent augmenta res Christianorum, eo plus detrimenti indies sentirent Gentilium Templa, Sacerdotes, Vestales; quorum videlicet hoc pacto imminuebantur, aut plane desiderabantur, proventus & stipendia. Quo de queritur, inter alios, Aurelius Symmachus, Præfectus Urbis, paræneſi ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium, Augg. quam inter ejus epistolas libro X, num. LIV, legimus. Talis itaque Gentilium est, hostium Ecclesiæ externorum, conditio. At si hodiernos spectemus Christianæ pietatis hostes domesticos, planum est, nihil horum prætexere illos posse, quo ad subdole impetendam illudendamque CHRISTI religionem & doctrinam incitentur. Eo proinde major ipsorum improbitas est, tanto inexcusabilior ipsorum irreligiositas. Quum, sæviente, seculo secundo, apud Smyrnenses fidelium persecutione, ejus Ecclesiæ Episcopus, B. Polycarpus, ad Proconsulem addu-

adduceretur, isque, dimissurum se illum promitteret, si convicia adversus CHRISTUM diceret; respondebat vir sanctus: ὀγδοήκοντα καὶ ἓξ ἔτη δέδουλευκα αὐτῷ, καὶ οὐδέν με ἠδίκησε· καὶ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου τὸν σώσαντά με; *Octoginta sex annos ei servivi, nec ulla me unquam affecit injuria: quî ergo possum Regem meum, qui me servavit, blasphemare*, sive, convicium ei facere, & dignitati ac honori ipsius derogare? uti narrant in epistola sua encyclica Smyrnæi, & ex hac Eusebius, lib. IV, cap. XV. Non dicent, opinor, Herbertus, Hobbius, Spinosa, ulla se injuria a CHRISTO, benignissimo illo & beneficentissimo Domino, umquam fuisse affectos. Quin potius fateri eos oportebit, vel quisquis eorum agit partes, animi corporisque dotes, sed & fortunæ, quæ vocari solent, bona, sat larga manu divinitus in ipsos fuisse collata. Quibus quum pro honore & gloria sui illius Sospitatoris & εὐεργέτου uti omnino conveniisset, isti contra suo ingenio, eruditione, otio, ætate, aliisque studiorum adminiculis, eo sunt abusi, ut bellum quasi intestinum CHRISTO, ejusque militibus, hoc est, Prophetis, Apostolis, & universæ Ecclesiæ, idque sine ullo stipendio, indixerint. Nam quid, obsecro, inde lucri novis Philosopho-Theologastris, quod tanto molimine pro subvertendo Christianismo & Atheismo stabiliendo arma capiunt? Num forsan a Diabolo, sub cujus vexillo militant, suorum exspectant laborum præmia? Dicerem, nisi Diabolum existere inficiarentur. *Gratis* ergo *mali* sunt; meritoque iis occinas Arnobina illa, adversus Gentes libr. II: *Cum hæc sit conditio futurorum, ut teneri & comprehendi nullius possint anticipationis attactu, nonne purior ratio est, ex duobus incertis, & in ambigua exspectatione pendentibus, id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil est, si, quod dicitur imminere, cassum fiat & vacuum: in hoc damnum est maximum, id est, salutis amissio, si, cum tempus advenerit, aperiatur non fuisse mendacium.*

cium. Scilicet mercedem non aliam improbi sui laboris se reportaturos, sicubi a scopo aberraverint, qui Christianismi fundamenta concutere nituntur, quam sempiterna corporis animæque supplicia, ne ipsi quidem, opinor, sunt negaturi. Ut proinde merito stupeas extremam illorum temeritatem & dementiam, qui sine ulla ullius emolumenti spe (qua alias ad pessima quæque perpetranda sæpe invitantur mortales) tanto se exponunt tamque immenso discrimini, & jure ad eos referas Apostolicum illud: φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν, Rom. 1, 22. Nos DEUM veneramur, ut cunctis Sapientiam sectantibus, docentibus pariter & discentibus, scriptoribus & lectoribus, eum inspiret animum, quo ad veram ipsius gloriam, CHRISTIque, mundi Redemptoris, honorem, omnes labores suos, conatus omnes, summo studio dirigant, & industria sua atque eruditione non tam Pietati periculum creare, quam pro virili illam promotum ire gestiant. Sit nomen Ejus benedictum in secula! Amen.

Augustinus epist. XLII:

Et bonus, ut præstet, & malus, ut fallat, & Christianus venerator, & Paganus adulator, omnes CHRISTUM cantant. Et qua voluntate atque ore cantent, eidem ipsi quem cantant, rationem, sine dubio reddituri sunt.

APPEN-

APPENDIX,

Qua

HIERONYMI CARDANI

&

EDOARDI HERBERTI

De

ANIMALITATE HOMINIS

opiniones

perspicue proponuntur, ac Philosophice examinantur.

LECTORI CANDIDO SAL.

ANni sunt duo & viginti, quando in florentissimâ Universitate Salamanca, ubi Philosophicis studiis non segniter tunc vacabam, inter cetera exercitia Academicâ disputationem habui, qua in Hieronymi Cardani αὐτόδοξον illud, Hominem non esse Animal, ejusq; firmamenta, accuratius aliquanto fuit inquisitum. Quum igitur Herbertiana scripta perlegens, quod certo modo & ipse Cardaniano huic faveat placito, animadverterim, operæ me pretium facturum credidi, si Jenensem istbanc meam disquisitionem, recognitam tamen, quoad per alias occupationes licuit, hinc inde mutatam, & alicubi auctam παρέργῳ loco huic opusculo subjungerem, expensis una quæ de eodem argumento ex suo penu Herbertus attulit. Tu, lector benevole, operam hanc nostram boni consule, & vale.

DE ANIMALITATE HOMINIS DISQUISITIO.

I.

QUantus vir Hieronymus fuerit Cardanus, Mediolanensium ille superiori seculo Philosophus & Medicus, si non aliunde constaret, vel ex solis, quibus ipsemet se ornat, elogiis discere liceret abunde. E multis pauca accipe. *Nos admirationi fuimus pluribus gentibus*, ait libro VII. de Rerum Varietate, cap. XLII, pag. 531. *Infinita in laudem meam conscripta sunt, tum carmine, tum soluta oratione*; ait in Libris propriis pag. 40. *Ad hoc natus sum, ut intrepide mundum ab erro-*

re

re liberem; de Rerum var. lib. VII, cap. XXXIII, pag. 336. *Neq; nos quicquam ab aliis inventum nobis adscribimus: sufficiunt nobis propria.* & mox: *Nesciunt amentes, nostra inventa talia esse, ut a nullo nostræ ætatis, aut ante nos, inveniri potuerint, qui non jam fama egregia cognitus esset. Quandoquidem & nos viventes ab omnibus qui nunc aliquid dignum memoria scribunt, ita colimur, ut non pudeat illos fateri scribere, quæ sint a nobis inventa;* ibid. pag. 332. 333. *Nobis, Herculis more, omnia difficillima relicta sunt;* ibidem cap. XXVI, p. 266. *Scripsi decem libros de* Somniis, *quos hoc anno* CIↃ IↃ LXI. *reduxi in quatuor, arte mirabili;* de libb. propr. pag. 16. *Liqueat, a nobis expleta omnia argumenta disciplinarum, ut quæ defecerint, restituerim; atq; ea ratione condidisse libros omnes, quibus, quod deficeret in omnibus artibus, supplerem;* ibidem pag. 111. *Illi plurimum debere me fateor, cujus causa duodecim illos admirabiles Contradicentium Medicorum libros instauravi;* ibidem pag. 75. *Libellum* Dialecticum *conscripsimus, in quo ne litera quidem superflua est, aut deficit. Absolvi intra septem dies. Res pene prodigio similis. Si edatur, intelligent omnes, non esse cujusvis, adire Corinthum. Vix enim toto anno quisquam eam legere poterit, ut intellexisse juste audeat gloriari. Sed qui intellexerit, non minori sapientia ad omnia cognoscenda præditus videbitur, quam si dæmonem aliquem egregium habeat familiarem;* ibidem pag. 40. *Natura mea in extremitate humanæ substantiæ conditionisq;, & in confinio immortalium posita;* ibidem pag. 108. In utroque libro non dubito, *& industria, & diligentia, & rei tractandæ inventione, &, quod omnium maximum est, Numinis auxilio & gratia, me ipsum in omnium aliorum librorum, præterquam Artis parvæ medendi compositione, quam etiam anno præcedente perfeci, longo intervallo superasse.* Librorum illorum alter *adeo efficaci vi mutare hominum mores potest, ut, ne boni fiant si qui student, prorsus ab illius lectione abstinere cogantur;* Actione I. libri de Subtilitate contra Scaligerum pag. 1174. *Sit stirpe quantumvis clarus* Scaliger, *mihi sufficiat Hieronymum esse*

Cardanum; ibidem pag. 1278. *Ego jam nunc fama & gloria totum orbem ferme implevi. Agnitus omnibus Principibus & maximis præcipue, nullum honoris genus non sum consecutus*; libro XII. genitur. gen. IIX. *Nomen illud quo cognitus sum toto orbe; quo Chronographis aliisq; de me scribendi occasionem dedi; quo agnitus sum Regibus*; ibid. *Principibus omnibus, & toti Europæ absq; dubio cognitus sum. Scripsi quæ probantur, totq; & tanta, ut vix tota vita quis legere omnia possit. - In omni certamine victor, judicio omnium. Adeo favente cælo, ut multi aperte fassi sint, cum decertarent, se omnium oblitos esse*; ibid. Similiter libro de vita propria cap. XXXII, *omnibus gentibus non solum notum fuisse, sed etiam totius orbis Principibus, ac Regibus, & Imperatoribus, nomen suum, gloriatur.* Eodem pertinet Cardani carmen de seipso, quod in fronte librorum de Subtilitate & de Rerum Varietate legitur:

Non me terra teget: cælo sed raptus in alto,
Illustris vivam docta per ora virûm.
Quicquid venturis spectabit Phœbus in annis,
Cardanos noscet, nomen & usq; meum.

& alterum, sub initium operis Contrad. Med.

Cum Medici, patria, affines, fortuna, parentes,
Me invisum odissent, non potuere tamen
Extremos jussu fati superare labores.
Sic vivam semper, major & Invidia.

Adeo videlicet est verum, quod scribit vir iste lib. IIX. de Rerum varietate cap. XLII, pag. 531. *Tam humiliter de nobis ipsis sentimus, ut malim judicio acerbissimi inimici stare, quam nostro, ubi de doctrinæ existimatione agatur.* At quis præter meram veritatem heic aliquid dicere suspicetur virum adeo veri amantem, ut de se profiteri non dubitet, libro XII. Geniturarum, genesi IIX, haud procul ab initio: *Quod vix credi potest, credi tamen* mihi de-

hi *debet*, *quoniam nunquam me mentitum esse memini*? Cumque mendacem oporteat esse memorem, ut est in proverbio, quî mendax esse possit Cardanus, usque adeo suorum dictorum immemor, ut quod heic ait, NUNQUAM se meminisse quod mentitus fuerit, (quomodo & alibi in scriptis suis passim, numquam mentitum se, & speciatim libro de Vita propria cap. XXXVII, nec Juvenem nec senem mentiri se solitum esse, jactat) ejus contrarium paulo post affirmat eodem isto libello, dum videlicet, de suis animi qualitatibus agens, *Adeo* inquit, *Veritatis amator* sum, *ut a quarto decimo anno supra mendacium me dixisse non meminerim.* Certe enim numquam rei alicujus meminisse, & non meminisse illius a quarto decimo dumtaxat anno, ἀντίθετα sunt seque evertunt invicem. Rectius sane Cardanum, quam Cardanus ipsemet perspectum habuit Gabriel Naudæus, quando, ut ut magnis alias elogiis hominem ornet, in suo judicio, aperte tamen, *Ego*, inquit, *mendacissimum illum fuisse deprehendi; & ab hoc vitio reliqua demum velut e fonte promanasse, quæ a nonnullis deliramenta vocantur, non levibus de causis existimo. Hoc autem ne quis a me dictum inconsulto fuisse, quoniam res est magni momenti, sibi persuadeat, en signatis tabulis ipsam confirmo, quarum fidem ne Cardanus ipsemet, si nunc vivat, elevare merito possit.* Moxque illustria aliquot ex ipsiusmet Cardani scriptis testimonia hanc in rem profert; v. c. quod Grammaticam Latinamque & Græcam linguam numquam didicisse se, sed *miraculo adjutum fuisse ad intelligendam linguam Latinam*, tam serio affirmat lib. de vita propria cap. IX, XII, XL, & tamen *Grammaticæ operam se dedisse* circa annum ætatis XXIII, & circa annum XXXV *nimia intentione studii Græcarum literarum labefactatum* fuisse, conceptis verbis profitetur in opusculo de Libris propriis. Et si numquam mentitus est Cardanus, homo non fuit; quum *omnis homo mendax* sit, Psal. CXVI, II. Sed quid absoni tandem, si hominem fuisse Carda-

num neget qui utique animal esse se, palam negabat ipsemet, ut mox dicemus? Sed revertamur ante ad superiora.

11. Præter ea, quæ ad ingenii industriæque gloriam pertinent, alia insuper nonnulla de se Cardanus memorat magis etiam stupenda. Sic enim scribit, libro IIX. de Rerum Varietate, sub initium capitis XLIII, pag. 539. seq. *Quatuor mihi indita sunt a natura, quæ nunquam aperire volui, & omnia (meo judicio) admiratione digna. Quorum primum hoc est, quod, quoties volo, extra sensum quasi in ecstasim transeo. Volo autem docere, quomodo id agam, & quid sentiam.* - Nempe *vocem quidem leviter audio; quid dicant, non intelligo. Dolorem magnum an sensurus sim, nescio: vellicationem validā, & podagræ dolores vehementissimos, nihil prorsus sentio. Sed diu in ea permanere non possum. Sentio, dum eam ineo, ac (ut verius dicam) facio, juxta cor separationem, quasi anima abscederet, totiq; corpori res hæc communicatur, quasi ostiolum quoddam aperiretur. Et initium hujus est a capite, maxime cerebello, diffunditurq; per totam dorsi spinam, vi magna continetur: hocq; solum sentio, quod sum extra meipsum: magnaq; quadam vi paululum me contineo. Secundum est, quod, cum volo, video quæ volo, oculis, non vi mentis, velut imagines.* - *Moventur autem perpetuo quæ videntur imagines. Itaq; video lucos, animalia, orbes, ac quæcunq; cupio. Credo, causam esse vim virtutis imaginatricis, visusq; subtilitatem. Tertium est, quod omnium, quæ mihi eventura sunt, imaginem video per somnum. Neq; unquam, ausim ferme dicere, vere autem dicere possum; meminisse, quod quicquam boni, aut mali; vel mediocris, mihi evenerit, de quo prius, & raro ante multum, non fuerim per somnium præmonitus. Quartum est, quod eorum, quæ mihi eventura sunt, quanquam sint perexigua, vestigia in unguibus apparent: nigra & livida malorum, & in medio digito; felicium alba; & ad honores in pollice, ad divitias in indice, ad studia & res majoris momenti in annulari, ad exiguas inventiones in minimo; coacta, res firmas, si sint veluti stellæ, res minus constantes, & magis publicas, verbisque*

que plenas. Subjungit mox alia quædam de se miranda, & inter cetera istud, pag. 542. *Prima juventa, quod & alias dixi, & cum Tiberio Cæsare commune fuit, nuper experrectus, in maximis tenebris omnia lustrabam, ac si dies clara esset: sed brevi tamen vis illa mihi subtrahebatur. Nunc etiam aliquid video, sed tamen non discerno.* Ubi quod de Tiberio ait, Suetonius ita narrat: Erat Tiberius *prægrandibus oculis, & qui, quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent; sed ad breve, & cum primum a somno patuissent; demum rursum hebescebant.* Ad quæ Isaacus Casaubonus: *Vix putem reperiri aliquem posse, naturæ præsertim calidioris atq; igneæ, cui non aliquando in adolescentia id evenerit. Mihi certe, & cum junior eram, persæpe, & nunc quoq; aliquando id ipsum solet accidere.* Similiter Josephus Scaliger, *Fuit & pater meus*, inquit, *oculis cæruleis dilutioribus, quibus interdum noctu videbat, ut in crepusculo solemus. Quod & mihi contigit, a pueritia ad vicesimum tertium annum. Nam postea hoc in me, ut alia multa, mutavit.* Etiam Cardanus de patre suo Facio, quod fuerit *oculis albis, & quibus noctu videret* in vita sua cap. III, memorat. De Asclepiodoto Photius in Myriobiblo cod. CCXLII: Ἀσκληπιόδοτος ὁ φιλόσοφος, ὁ Πρόκλου μαθητὴς, ἐν σκότῳ βαθεῖ γεγράμματά τε ἀνεγίνωσκεν ἄνευ φωτὸς, καὶ τὰς παρόντας τῶν ἀνθρώπων διεγίνωσκε, *Asclepiodotus Philosophus, Procli discipulus, in summis tenebris sine lumine legit, adstantesq; homines dignovit.* Confer Galenum de Hippocratis & Platonis scitis libro VII. Alexandrum Aphrodiseum Problem. lib. II, quæst. LXIX. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

III. Ad Cardanum ut redeamus, nescio an gentilitia ipsi fuerint mira & admiranda istiusmodi, de quibus gloriatur. Certe & patrem ejus insolita quædam jactare de se consueviſse, ipse noster memoriæ prodidit, libro de Subtilitate XIX, p. 1202. seq. Verba hæc sunt: *Omnibus historiis magis mirabilem hic subjiciam, quam non semel nec paucis vicibus audivi a patre meo, Facio Cardano;*

no; qui dæmonem se familiarem per 30. ferme annos habuisse confitebatur. Demum, cum illius scripta requirerem, quod sæpius audieram, ita literis ac memoriæ mandatum inveni. Idibus Augusti, 1491. cum peregissem sacra, hora diei 20. apparuerunt de more septem viri, sericeis induti vestibus, pallio quasi Græco, caligis (ut videbatur) purpureis, subuculæ thoracibus splendentibus ac rubentibus, ut e chermesino esse viderentur, forma augustiore quam communi, & conspicua admodum. Nec tamen omnes sic vestiti; sed duo, quos constabat esse nobiliores inter ipsos: nam illorum alterum, qui procerior erat & rubicundus, duo alii sequebantur comites; alterum, qui pallidior esset ac minor corpore, tres alii. Ita omnes septem erant. Capitine quid haberent impositum, an nudum esset, scriptum non reliquit. Ætas illis juxta quadragesimum annum, sed quæ nec trigesimum præferret. Cum interrogarentur, quinam essent, responderunt, homines esse quasi aëreos, qui & ipsi nascerentur ac interirent: verum vitam illorum nostra esse longe diuturniorem, ut quæ ad annos 300. extenderetur. Interroganti de animæ immortalitate nostræ, nihil quod cuiq; proprium esset, superesse affirmarunt. Ipsos divis esse conjunctiores multo humano genere, sed tamen ab illis infinito pene distare intervallo. Nec secus illos nobis aut beatiores esse aut miseriores, ac nos ipsis sumus belluis. Nihil latere abditarum rerum, ut nec libros, aut pecunias: infimamq; illorum colluviem esse genios virorum nobilissimorum, non secus ac homines vilissimos generosorum canum aut equorum educatores. Cumq; ipsi tenuissimo essent corpore, nihil nobis commodi aut detrimenti posse afferre, præter spectra atq; terrores, tum scientiam. Erant alteri, qui minore erat corpore, 300. discipuli, alteri 200. in publica Academica. Uterq; enim eorum publice profitebatur. Cum pater meus interrogasset, cur, si thesauros nossent, ipsi non revelarent hominibus? responderunt, sancitum esse hoc privata lege maximis pœnis, ne quisquam hoc eis communicet. Manserunt apud illum horis plusquam tribus: disputarunt autem interim. Rogante illo de causa mundi, qui procerior erat, negabat DEUM effecisse mundum

ab

ab æterno: contra alter astruebat, per singula momenta ita DEUM *creare mundum, ut, si vel momento desisteret, protinus mundus ipse periret. Ad hoc ipse ex Averrois disputationibus quædam adducebat, cum liber ille nondum inventus esset. Referebat & nomina quorundam librorum, quorum pars inventa, pars adhuc latitat: atque hi omnes tamen Averois erant. Ille vero palam Averroistam se profitebatur.* Alibi, nempe de Rerum Varietate libro XVI, cap. XCIII, pag. 1072. ita hanc in rem scribit: *Facius Cardanus dæmonem æthereum, ut ipse dicebat, diu familiarem habuit. Qui, quamdiu conjuratione usus est, vera illi dabat responsa: cum autem illam excussisset, veniebat quidem, sed responsa falsa dabat. Tenuit igitur annis, nisi fallor, viginti octo eum conjuratione, solutum autem circiter quinque. Utut res se habeat, dum astrictus esset, commodum se satis exhibebat. Atque is saltem dæmonas esse fidem faciebat, quod diligenter omnia inquisierit ab illis. Neque enim solus semper, licet plerumque, sed aliquando cum sociis etiam veniebat.*

IV. Tametsi autem Hieronymus Cardanus, dæmonas vidisse se, aut eorum opera, de qua pater solebat gloriari, usum aliquando esse pernegat, Genio tamen suo, cujus hinc inde facit mentionem, multum tribuit, ab eoque somnia sibi immissa non obscure innuit, (præsertim de Libris propriis pag. 12.) quibus ad scripta aliquot condenda fuerit excitatus, ea scilicet quæ de Rerum Varietate & Subtilitate agunt. *Cum ego monitus essem per somnium*, ait libro XIV. de Rer. var. cap. LXIIX, pag. 910. *ut hos libros de Rerum Varietate conscriberem, sciens futurum esse ut perficerem, audacter rem sum aggressus, nec timui pericula intermedia, cum toties ab hoc munere sim impeditus. Quæ enim futura sunt, ut sint necessarium est. Cum enim multos libros scripserim, ut etiam in libello de Libris propriis* (notavi) *solum de libris his, atque de Subtilitate, ut eos conscriberem, sum admonitus.*

V. Ubi quod de Subtilitatum libris tangit, id plenius in ipso

illo opere exponit, libro XIIX, pag. 1180. seqq. Verba, quamvis pluscula, non pigrabimur exscribere, ut inde Cardanianum ingenium cognoscatur rectius. *Per somnum*, inquit, *non semel admonitus sum, ut hunc librum conscriberem, divisum quidem ut mihi videbatur, in 21. partes. Tractationes erant variæ; & circa medium paucula Geometrica: inde per totum variæ ac novæ disputationes admodum elegantes, & de rebus veris, candore linguæ haud mediocri, cum grata quadam obscuritate: tum vero ob styli continuitatem, rationumque subtilitatem, res mihi pene divina videbatur; adeo ut per somnum tanta perfunderer voluptate, ut parem illi nunquam senserim. Extra sensum rapi videbar, & post somnum etiam memoria illius jucunditatis mirum in modum me delectabat. Agnovi materiam, quæ de omnibus tractaret, nomenque libri, notam tenuem ac pulchram. Proculimpressus liber videbatur, paucaque in urbe exemplaria. Tria non conveniunt. Nam alterius videbatur ille liber, non meus; magnitudo quoque longe major, & stylus nostro elegantior. Forsan hæc aliquando in melius mutabuntur; aut, velut in speculis contingit eadem videri, sed diversa tamen ratione, majora, pulchriora, ac mutata serie; vel quod somnium quædam augeat, alia minuat: dolorum etenim qui nondum inceperunt, speciem auget, morborum vero qui nos jam opprimunt, minuit. Igitur cum sæpe hoc mihi contigisset, libellum quatuor primum chartis incœpi; post ad septem usque superauxi, inde usque ad 35. nunquam interim cessantibus imaginibus iisdem, & jucunditate illa quam legendo percipiebam in somno: sed eo rarius in somnium revertebatur, quo liber magis crescebat. Auctus est postmodum ad 57. chartas, demum ad 76. tunc primum adjecta tabula editus est. Cum tamen dimidio minor videretur quam is qui mihi per somnum ostensus fuit, existimavi, alias ab aliquo absolvendum. Nam jam ter idem excusus erat; Norimbergæ primum, inde Lugduni, demum Lutetiæ Parrhisiorum. Cum vero in Galeni dictum incidissem forte fortuna, quo librorum absolvendorum methodus traditur, assumpto iterum argumento, tanquam*

quam de novo conficerem, illum ad methodi normam aucto ferme tantundem, quantus fuerat in prima editione, perfeci, his propemodum auxiliis adjutus, quæ in præcedenti libro demum adjeci. Constat enim auctio tota chartis quinquaginta sex, totus vero lib. 132. inde, tabulis additis, parum, ut existimo, ab eo quem per quietem vidi, omnino differt. Sed neque augere illum possum, etiamsi velim: primum, quod absolutus sit ordo; deinde, quod oporteret totum ipsum ab initio revolvere: quod mihi nunc prorsus, non solum incommodum foret, sed impossibile. Si tamen illi subjungantur tres libri de Rerum Varietate, qui eiusdem sunt argumenti, tunc omnino & character, & magnitudo, & locus figurarum Mathematicarum, qui nunc non in medio est, sed in calce libri, ferme ad unguem somnio respondebunt. Nam Plinii de Naturali Historia magnitudine volumen id, quod per quietem legebam, æquare videbatur. Tantæ scilicet erat molis, ne nugas somniasse videretur doctus ille nugator, efficere. Confer præterea heic librum Cardani de Vita propria cap. XXVI, XXX, XXXVII, XXXIIX, XLI, XLII, XLIII, XLVII.

VI. Quum autem in jamjam memorato de Subtilitate commentario tantopere auctor, etiam ubi nondum esset natum hoc opus, sibi placuerit, an mirum, quod libro II, pag. 112. scribat, *solum magna, & difficillima, ac pulcherrima*, in illo se *persequi*? quodque de eodem sic glorietur, libro XVII, pag. 1041. *Hoc in libro artes omnes perfecte traduntur, de quibus tamen agitur. Quod si hoc non demonstravero, jure nemo mihi credat. - Si igitur omnia capita & maxima & difficillima attigi, manifestum est, eum qui quæ hic scripta sunt assequitur, universæ artis perfectam & absolutam habere cognitionem*? Nec potest sane negari, uti alias Cardanus, tamquam ad hoc unice natus factusque, in cunctarum ferme rerum consideratione abstrusa & nova meditatur, ac inveterata corrigere satagit, sic isto etiam in opere multa rara & recondita ab eodem tradi, multa in dubium vocari pro certissimis vulgo

habita, nonnulla etiam, quæ exploratæ alias immotæque veritatis censentur, ut falsa aperte rejici.

VII. Alia in præsenti ut missa faciamus, quid, obsecro, tot retro seculis unanimi omnium sapientum consensu certius est celebratum, quid in publicis Philosophantium Lyceis frequentius decantatum, quid denique sub triviali Pædagogorum ferula vel exempli loco durius umquam inculcatum, quam, HOMINEM ESSE ANIMAL? Et tamen Cardanus hanc ipsam sententiam in suo illo Subtilitatum promptuario dubiam facere, imo negare manifesto, omnique conatu impugnare non veretur.

IIX. Ubi enim de natura & conditione Hominis quædam disseruisset, circa initium libri XI. memorati operis, subjungit quæ sequuntur: *Atq; hæc fidem facere videntur, quod homo sit animal. Hucusq; etiam, sic esse, creditum est. Sed homo non plus est animal, quam animal planta. Si enim animal, quamvis nutriatur & vivat, plantæ nomen non meretur, nec omnino planta est, quia animam qua sentit, habet præter plantam: homo, cum præter animal mentem habeat, desinit esse animal: nam alterum genus animæ est quod sentit ac intelligit, ut testatur Aristoteles. Si enim forma alia a forma fuerit, alterum sub altero collocari non potest. Sentit enim homo profecto ut animal vivens, non tamen homo animal, ut neq; animal planta. Si enim homo animal est, id est, cujus forma ultima est sensus effectrix anima, manifestum erit, & eadem ratione esse etiam plantam. at hoc nemo admittit, nemo credit. Et qua ratione in homine sensus continetur, eadem prorsus in animali vivens. Nec tamen animal est quod solum vivit, id est, planta, ut nec homo animal. Denique si homo animal est, vel ratione utens, vel carens? Non equidem carens; esset enim bellua: est igitur utens ratione. Uti itaq; ratione differentia quædam est animalium, velut & bovis aut leporis propria differentia. Quæ igitur sentit anima, ut potest non uti ratione, potest etiam uti. Intellectus igitur in ea collocatur. Perspicuum enim est, differentiam quamlibet in eo esse posse cujus est differentia. Sensus igitur im-*

intelligere posset? Ergo homo vita & sensu præditus est; animal autem aut plantam dicere absurdum est.

IX. Hæc ibi Cardanus. Cujus si monitum spectes: *non disceptationibus Sophistarum, sed in solidis studiis atq; operibus ipsis laude dignis, consumendum esse tempus*; Action. I. in Scaligerum, pag. 1270. mirari possis haud immerito, quod cudendis istiusmodi sophismatibus, quæ ad panem lucrandum, aut onerandum auro crumenam, parum faciunt, bonas horas perdere voluerit ipsemet; præsertim quum dicto loco, pag. 1273. queratur, parum sibi temporis ab exercitatione medendi superesse, adeo ut & paucum illud, quo librorum suorum defensionem scripsit, coactus fuerit a curandi officio non levi damno rei pecuniariæ subtrahere. Id quoque mirum alicui videri queat, Cardanum in memorata contra Scaligerum Apologia, pag. 1271. ita differere: *Hæ disciplinæ* (Dialectica & Metaphysica) *eatenus sunt legendæ, atq; in pretio habendæ, quatenus homo eo perveniat, ut enthymemata ac syllogismos rectè construere norit, captionesq; vocum vitare, nec non generalissima illa significata quorundam nominum intelligere. Ulterius si procedas, hominem ineptum reddunt, ut qui confidat, dum de omnibus acutiùs, quam par est, ac locupletius disputare novit, absq; propria scientiarum, in quibus disceptat cognitione, se eruditum videri absq; labore, scientemq; absq; scientia*: mirum, inquam, videri queat, talia scribere Cardanum, & argutiis tamen adeo inanibus tanto philosophantium consensu receptam sententiam impugnare. Scilicet male personam suam agit Medicus, dum alienis morbis medicinam facere conatur, se vero ipsum sanare non studet: præsertim quum, loco citato, pag. 1272. *amentiam* vocet, si quis ipse admittat quæ reprehendit in aliis.

X. Sunt qui præterea heic mirantur, acutissimum virum, Julium Cæsarem Scaligerum, illum alias sententiarum Cardani rigidissimum censorem, inauditam hanc ejus, qua Hominem

Animal esse negat, philosophiam ne verbulo quidem in exotericis suis de Subtilitate exercitationibus attigisse. Sed hanc quidem admirationem facile ponet qui observaverit, Scaligerum in limine istarum Exercitationum monere, sibi, dum opus hoc condidit, præter unam libri Cardaniani editionem (quam primam fuisse, ex Apologetici Card. pag. 1170. liquet) notam fuisse nullam; e qua proinde sola ad suas disceptationes digesta loca exceperit. Nempe quum in prima illa editione, quæ anno cIↃ lↃ L. ex Johannis Petreji officina Norimbergæ prodiit, hujus controversiæ nec vola nec vestigium appareat, nihil de ea Scaligero constare potuit.

XI. Nos interim Cardani opinionem, vel eo nomine, quod communi omnium Sapientum doctrinæ bellum indicit, paulò accuratius nunc expendemus; quid roboris habeant superbi hujus Philosophi argumenta, quibus novam suam assertionem stabilire nititur, & num tantæ sint efficacitatis, ut ad deserendam receptam sententiam hominem veritatis amantem, nec plus justo novitatis studiosum, merito possint inducere, paucis ostensuri.

XII. Disputationem suam Cardanus orditur ab examine argumenti illius vulgatissimi:

Quidquid animam habet sensitivam, est Animal,
Homo animam habet sensitivam; Ergo
Homo est Animal.

Ibique Majorem propositionem non absolute & simpliciter admittendam esse existimat, sed hac ratione limitandam: Quidquid animam habet sensitivam, nec præter hanc, aliam formam sentienti superadditam, id est Animal. Sic vero limitata Majore, negat Minorem: negat, inquam, & recte quidem, hominem ita sentire, ut præter sensitivitatem formam non admittat ullam aliam; quum utique anima insuper ipsi sit intelligens.

Cete-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0146
DFG

Ceterum illum in modum restringi majorem oportere, hinc manifestum esse putat, quod, nisi tali utamur limitatione, eodem argumentandi modo probari facile possit, hominem, & quodcunque aliud animal, esse Plantam. Si enim, inquit, recte ita colligo: Homo sentit; ergo est Animal; quid prohibebit, quo minus & sic rite concludam: Homo nutritur ac vivit; ergo est Planta. Quam tamen posteriorem consequentia m nemonon absurdam esse agnoscit. Existimat itaq; Cardanus, ut in Syllogismo isto:

Quidquid nutritur & vivit, est Planta;
Animal nutritur & vivit; E.
Animal est Planta:

Major hoc pacto limitanda sit: Quidquid nutritur & vivit tantum, nec præter animam, qua vivit, formam habet aliam, id est Planta: ita similem in modum recte limitari quoque superioris argumenti Majorem; quod eadem plane sit ratio Hominis ad Animal, quæ est Animalis ad Plantam.

XIII. Atque ita, ut apparet, in eo sita est Cardani subtilitas, quod opinatur, simul ac forma ad formam accedit, novam enasci essentiam, eamq; a priori adeo diversam, ut sub illa stare in prædicatione non possit: sive, quum forma formæ superadditur, id quod, præter priorem, formam accipit novam, esse eoipso disinere quod erat antea. Et proinde secundum hanc Philosophiam, etiamsi Animali forma sit, sive anima, qua nutritur & vivit, quia tamen ei junctam habet animam sentientem, Plantæ nomen non meretur, nec omnino Planta est. Similiq; modo, licet Homini anima sit sentiens, seu forma illa, qua in esse suo Animal constituitur, quia tamen præterea mens ipsi est, sive anima intelligens, Animal, Cardani quidem arbitrio, dici nequaquam debet.

XIV. Hæ igitur illæ sunt argutiæ, quibus everturum se confidit subtilitatum magister argumentum, quo communiter, idque firmissime, Hominem esse Animal, demonstratur. Eas

vero

vero si aliquanto intueamur propius, quam vanæ sint & nullius plane momenti, apparebit illico.

XV. Scilicet primo falsum est, & experientiæ omnino reclamat, si formam formæ addas, essentiam constitui quæ sub altera in prædicatione non possit collocari. Hoc enim si admittatur, non de uno homine, sed de cane etiam, equo, leone, imo de cunctis bruti speciebus, negandum erit, quod sint animalia: negandum, rutam esse plantam, cerasum arborem, atque ita porro. Quæ tamen omnia, ipsomet Cardano judice, absurdissima sunt. Si namque ex eo quæras: an canem, v. c. specie distingui censeat ab equo, ceterisque brutis? nullo modo id negabit, ut qui conceptis docet verbis, *differre animalia inter se specie*, lib. VII. de Rerum var. cap. XXVI, pag. 253. Si quæras ulterius: quid illud sit, quo animal ab animali specie differt? respondet idem, libro IIX. de Subtilitate, pag. 517. *Forma est quæ species ipsas distinguit*, & libro VII, de Rerum var. cap. XXVII, pag. 255 *Sunt animalia varia forma, discrimineq; multiplici.* Oportet proinde, ex Cardani sententia, canem, præter animalitatem, quæ cum ceteris brutis ipsi communis est, formam habere aliam sibi peculiarem & propriam, qua in esse canis determinato constituatur, & ab equo, leone, lupo distinguatur specie. Quod si jam constare sibi debet illud principium, per additam formæ formam, novam statim & a priori realiter diversam produci speciem, quæ sub priori in prædicatione poni nequæat, canis certe non erit animal, ut cujus formæ sentienti, animali propriæ, alia forma, specifica nimirum, accedit. Par esto judicium de Plantis, quas & ipsas specie per suas distingui formas, loco memorato operis de Subtilitate Cardanus agnoscit.

XVI. Porro si recte se habet, quam expendimus nunc, Cardaniana assertio, non solum hinc concludere licebit, Hominem non esse Animal; sed etiam, eundem non esse Corpus animatum

nimatum, vel mixtum. Etenim, annon Corporis animati forma ultima est vitæ effectrix anima; æque ut, dicente Cardano, Animalis ultima forma est anima sensus effectrix? Homo proinde quum, præter vitam, rationis quoque sit particeps, vi Cardaniani principii, quo forma formæ juncta novam semper gignit & a priori realiter distinctam speciem, corpus animatum esse desinet. Idem de corpore mixto similibusque sit judicium.

XVII. Dicis: Quid vero fiet de pronunciato illo Aristotelico, IIX. Metaphys. III: εἰσί πως ἀριθμοὶ αἱ οὐσίαι. - ἢ ὥσπερ οὐδ' ἀπ' ἀριθμὸς ἀφαιρεθέντος ἢ προστεθέντος, ἐξ ὧν ὁ ἀριθμός ἐστιν, οὐκ ἔτι ὁ αὐτὸς ἀριθμός ἐστιν, ἀλλ' ἕτερος, κἂν τὸλάχιστον ἀφαιρεθῇ ἢ προστεθῇ· οὕτως οὐδὲ ὁ ὁρισμὸς, οὐδὲ τὸ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔτι ἔσται, ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προστεθέντος; *Essentiæ sunt quodammodo numeri. Et quemadmodum, si quid eorum, ex quibus numerus constat, ab eo ablatum aut additum fuerit, non idem jam numerus, sed diversus existit, etiamsi minimum auferas aut addas: ita neque definito aut essentia eadem consistit, si quidquam aut auferatur aut adjiciatur?*

XIIX. Resp. Non debet istud Philosophi effatum justo extendi latius, ac si nempe eo pertineret, quod quævis forma quovis modo alii formæ addita, & sic etiam forma specifica addita genericæ, novam statim producat, atque priori tam diversam essentiam, ut sub illa in prædicatione collocari non possit: siquidem hac ratione nullum omnino genus de sua specie esset prædicandum; quippe cum species omnis formam specificam superaddat genericæ. Sed hoc velle videtur Aristoteles: quemadmodum numeri consistunt in indivisibili, nec medium per participationem admittunt, sed vel minimo ablato aut addito, totam mox speciem mutant (nam si, v. c. de numero ternario unitatem demas, statim ternarius esse desinit, fitque binarius; sin unitatem ei adjicias, ex ternario fit quaternarius)

narius) ita neque diſtinctas ſpecies, formasve ſpecificas, medium admittere per participationem utriusque ; ſed ubi vel minimum alterius formæ acceſſerit, aliam e veſtigio oriri ſpeciem ; quod unam ſpeciem una differentia, eaque ultima, conſtituat, nec e diverſorum extremorum compoſitione & permixtione ulla ſpecies prodire poſſit. Qua ratione ſi accipiatur objectus Philoſophi locus, nihil in eo præſidii Cardaniana invenit opinio. Verum ad ſuperiora redeamus.

XIX. Præter illud, quod hucusque in diſquiſitionem vocavimus, aliud diſputationi ſuæ fundamentum ſubſternit Cardanus : puta, quod eadem ſit ratio Hominis ad Animal, quæ eſt Animalis ad Plantam. Hoc vero cum priori ejusdem omnino rationis eſt, æque ſcilicet falſum & abſurdum. Quod ut manifeſtum fiat, ponimus ut certum heic & ab omnibus conceſſum, quoties Genus dividendum, & diſtinctæ conſtituendæ ſunt Species, fieri id oportere per formas ſeu differentias ſpecificas. Ita, v. g. corpus animatum, ſeu vivum, tanquam genus, diſpeſcitur in ſpecies ſuas, animal ſcilicet & plantam, per formas ſpecificas ; quarum una, animal in eſſe ſuo conſtituens, ſenſitiva dicitur; altera, quæ plantæ dat eſſentiam, non-ſentiens poteſt vocari. Amplius animal ſubdividitur in hominem & brutum, ut ſpecies diſparatas, quæ rurſum a formis ſpecificis determinatum ſuum eſſe accipiunt. Et quia brutum ulterius in varias diſtingitur ſpecies, itidem id fit per differentias : ut tot formæ, quot brutorum ſpecies, exiſtant. Audi Ariſtotelem. Δεῖ διαιρεῖσθαι, ſcribit is, Metaphys libr. VII. cap. XII. τὴν τῆς διαφορᾶς διαφοράν. οἷον ζώου διαφορὰ, τὸ ὑπόπουν. πάλιν τοῦ ζώου τοῦ ὑπόποδος τὴν διαφορὰν δεῖ εἰδέναι ἢ ὑπόπουν· ὥστε οὐ λεκτέον τοῦ ὑπόποδος, τὸ μὲν πτερωτὸν, τὸ δὲ ἄπτερον, κἄνπερ λέγηται καλῶς· ἀλλὰ διὰ τὸ ἀδυνατεῖν ποιήσει τοῦτο· ἀλλ' εἰ τὸ μὲν σχιζόπουν, τὸ δὲ ἄσχιστον. αὗται γὰρ διαφοραὶ ποδός. ἡ γὰρ σχιζοποδία ποδότης τίς ἐστιν. καὶ οὕτως ἀεὶ βούλεται βαδίζειν, ἕως ἂν ἔλθῃ εἰς τὰ ἀδιάφορα. τότε δ' ἔσονται τοσαῦτα εἴδη

τὰ εἴδη πρὸς, ὅσαπερ αἱ διαφοραὶ καὶ τὰ ὑποπόδα ζῶα ἴσα ταῖς διαφοραῖς, Vult nimirum Philosophus, non solum genus dividendũ esse in suas species, sed & differentiã generis in differentias specificas distribui oportere: idque declarat exemplo Animalis. Cujus differentia quum sit, pedatum esse, seu pedes habere, per quam illud dividatur in id quod pedes habet fissos, & quod non fissos: differentiam hanc genericam, peditatem puta, dispescere præcipit in χιζοποδίαν, & ei oppositam alteram differentiam specificam: atque sic ulterius procendendum esse docet, dum ad ea, quæ differentia carent, perveniatur: qua ratione tot species animalis pedes habentis futuræ sint, quot futuræ pedis differentiæ. Eodem spectat locus lib. x. Metaph. cap. IIX: *ἐ μόνον δὲῖ τὸ κοινὸν ὑπάρχειν, οἷον ἄμφω ζῶα, ἀλλὰ καὶ ἕτερον ἑκατέρῳ, τὸτο αὐτὸ τὸ ζῶον, οἷον, τὸ μὲν ἵππον, τὸ δὲ ἄνθρωπον. διὰ τὸτο τὸ κοινὸν ἕτερα ἀλλήλων ἔδει τῷ εἴδει. ἔσται δὴ καθ' αὐτὸ, τὸ μὲν τοιονδὶ ζῶον, τὸ δὲ τοιονδὶ. οἷον τὸ μὲν ἵππῳ, τὸ δ' ἀνθρώπῳ, Non solum commune oportet existere, ut ambo animalia, verum etiam utrique diversum, hoc ipsum animal; ut hoc quidem equum, hoc vero hominem. Quare hoc commune diversum specie vicissim est. Erit itaque secundum se, hoc quidem tale quid animal, hoc vero tale quid: ut hoc quidem equus, hoc vero homo.* Sensus est, ad constituendas species non solam sufficere naturam genericam, sed accedere oportere differentias, quæ genus determinent, cumque eo certam speciem efficiant. Atque sic corpus animatum, v. c. seorsum nec animal constituit, nec plantam; utrumque autem, ubi differentiæ accedunt specificæ. Adde enim corpori viventi sensitivitatem, & habebis animal; adde eidem differentiam oppositam, quamvis non satis nobis exploratam, & prodibit planta.

xx. His eum in modum præmissis, nullo negotio patet, invita veritate a Cardano doceri, eamdem esse rationem Hominis ad Animal, quæ est Animalis ad Plantam. Quis enim

heic non animadvertit diversitatem maximam? Planta & Animal species sunt disparatæ, & proinde conveniunt quidem in communi conceptu Corporis animati, sed distinguuntur per formas sive differentias specificas: Homo contra in ordine ad Animal se habet tamquam inferius ad suum superius, species ad suum genus: suntq; adeo hominis & animalis formæ, non disparatæ, sed subalternæ. Quo accommodari solet illud Philosophi ex libro Categoriarum: τῶν ἑτερογενῶν καὶ μὴ ὑπαλλήλων τεταγμένων, ἕτεραι τῷ εἴδει καὶ αἱ διαφοραὶ, τῶν δ' ὑπαλλήλων γενῶν οὐδὲν κωλύει τὰς αὐτὰς διαφορὰς εἶναι. τὰ γὰρ ἐπάνω τῶν ὑπ' αὐτὰ μερῶν κατηγορεῖται. ὥστε ὅσαι τῶν κατηγορουμένων διαφοραί εἰσι, τοσαῦται καὶ τῶν ὑποκειμένων ἔσονται, *Quando genera diversa sunt, nec alterum ab altero continetur, etiam differentiæ eorum specie differunt; eorum vero generum, quorum alterum sub altero collocatur, easdem esse differentias, nihil prohibet: superiora enim de suis inferioribus prædicantur. Unde, quotquot prædicati differentiæ sunt, totidem erum & subjecti.*

XXI. At, inquiet Cardanus heic, anima qua Planta vivit, forma ipsius specifica est: eadem proinde quum & Animali competat, quî planta & animal dici possunt per formas distingui disparatas? Id vero ipsum est, o bone, de quo nunc disputatur: an scilicet anima, qua planta vivit, propria ei sit & specifica. Quod omnino nos negamus. Quo jure enim anima, qua vivit planta, forma sit ejus specifica, quæ sane duabus disparatis speciebus, animali & plantæ, ex æquo communis, indeque harum intuitu forma est generica? Alia itaque datur Plantæ ἐντελέχεια specifica, quam, quia commodiore loquendi ratione heic destituimur, animam non-sentientem appelles licet: non quod nuda sensus absentia sit ultima illa forma, qua in esse suo planta constituatur (quî enim ens mere negativum rei positivæ largiretur essentiam?) sed ut fiat indicium, animam qua vivit planta, non esse propriam hujus specificamque formam

formam, sed formam genericam, plantæ & animali communem; aliam vero dari plantæ formam specificam ἀνώνυμον, cujus propriæ operationes minus nobis sint perspectæ, quæque adeo voce exprimatur negativa, ut quoquo modo dumtaxat planta ab animali possit distingui: non secus ac bruti forma communiter dici solet anima irrationalis.

XXII. Atque ex hactenus discussis cuivis nunc liquere arbitror, quo vitio laboret Cardaniana collectio: Si homo idcirco est Animal, quod sentit, nil obstat, quo minus idem, cumque ipso quodvis animal aliud, dicatur esse Planta, ideo quod vivit. Nimirum confundit auctor formas genericas cum specificis, quodque de his verum est, idem de illis etiam valere, sibi habet persuasum. Rectissime certe sic argumentor: Homo sentit; ergo est Animal. Sentire enim quum ad formam animalis specificam spectet, quidquid sensu est præditum, non potest non esse animal. Perperam autem ita colligo: Animal vivit; igitur est Planta. Male sic colligo, inquam: non, ut Cardanus existimat, quod animal aliam habet formam præter eam qua vivit, sed quod non habet plantæ formam specificam: quum τὸ vivere non sit plantæ proprium, sed huic & animali commune. Quemadmodum ergo non sequitur: hoc corpus sentit, ergo est brutum, potest enim esse homo, ut qui non minus sentit quam brutum: sic neque ita recte concluditur: hoc corpus vivit, ergo est planta; sed quia τὸ vivere plantæ & animali ex æquo competit, potius concludendum: ergo est vel planta, vel animal. Atque hæc de priori parte disputationis Cardanianæ dicta sunto.

XXIII. Iam ad partem ut accedamus alteram, communem de hominis animalitate sententiam auctor argumento impugnat ejusmodi: Si Homo est Animal, aut erit rationale animal, aut irrationale. Sed neutrum dici potest. Non posterius;

uti ex se planum. Neque etiam prius. Quod sic ostendere conatur Cardanus: Quandocumque species continetur sub genere aliquo, etiam differentia seu forma speciei continetur sub forma generis. Si itaque rationalitas est differentia hominis, & homo continetur sub animali, cujus forma est anima sentiens, rationem quoque seu intellectum sub sentiente anima contineri oportet, inque ea collocari. Id vero absurdum. Nam sequeretur inde, tum quod una simplex anima sensitiva duos plane oppositos actus, rationalitatem puta, ut hominis, & irrationalitatem, ut bruti differentiam, contineat, tum quod sensus possit intelligere. quæ falsa omnia & paradoxa. Sic habet, inquam, Cardani argumentatio, si quidem recte mentem ejus & sententiam assequimur. Quam perspicue magis expressisset, si memor fuisset sui illius pronunciati, quod legitur in præfixa libris de Rerum Varietate epistola nuncupatoria: *Turpissimum esse reor, ita scribere, ut non intelligaris.*

XXIV. Ut autem appareat, quam parum subsit solidi istis subtilitatum magistri argutiis, observandum, dupliciter dici quid posse continere aliud: actu & potentia. Priori modo species, v. c. genus continet & differentiam, unde scilicet tamquam ex partibus Logicis seu Metaphysicis componitur: posteriori autem ratione genus omnes suas species & differentias divisas continet, non secus ac materia prima potestate continet omnes formas. Quo respicit Aristoteles, dum Genus ipsi esse dicitur ὡς ὕλη, *instar materiæ*, lib. VII. Metaphys. cap. XII. Nimirum ut materia ex se nullam omnino formam habet, capax interim est omnium formarum, sive apta & idonea, ut cunctas formas suscipiat: ad eundem modum neque Genus ullam earum differentiarum, quibus dividitur, actu continet, habile interim est ad eas recipiendas,

XXV. Quod si jam quæratur, v. c. an animal, tamquam genus,

genus, suas dici possit continere species, hominem & brutum respondemus: animal, ut sic, sive in conceptu præciso, nec hominem nec brutum actu, potentia vero utrumque includere. Idemque sit judicium de animalis forma, anima sensitiva scilicet, Nam neque illa, in se spectata, rationalitatem aut irrationalitatem actu continet; sive, ut cum Cardano loquamur, neutra harum differentiarum in anima sensitiva, absolute sumpta, actu collocata est: potentia vero utramque in ea includi, nullum est dubium; siquidem forma Animalis determinari potest, vel per rationalitatem, quomodo constituitur homo; vel per irrationalitatem, quo pacto brutum producitur.

XXVI. Ubi non obstat quidquam, quod rationalitas & irrationalitas differentiæ sunt sibi invicem adversæ, quarum proinde una eademque sensitiva anima non videtur esse capax. Si enim sine ullo absurdo aut incommodo motus simplex & adscensum continet & descensum, color & albedinem & nigredinem, sapor & dulcedinem & amaritudinem; quid prohibebit, quo minus anima sensitiva, eo videlicet modo quem supra expressimus, rationalitatem ac irrationalitatem contineat? Sane Aristotelis est regula, Topic. lib. VI, cap. III. vel, secundum alias editiones, VI: πᾶν γένος τοῖς ἀνδιηρημένοις διαφοραῖς διαιρεῖται. *Omne genus oppositis differentis dividitur.* potestque heic consuli etiam Metaphis. libri X. caput IIX, ubi inter cetera sic Philosophus: ἡ διαφορὰ ἐναντίωσίς ἐστι. τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ ἕτερον εἶναι τῷ εἴδει, τὸ ἐν τῷ αὐτῷ γένει ὄντα ἐναντίωσιν ἔχειν ἄτομα ὄντα. τὰ αὐτὰ δὲ τῷ εἴδει ὅσα μὴ ἔχει ἐναντίωσιν ἄτομα ὄντα, *Differentia contrarietas est. Hoc enim est diversum specie esse, quod, cum in eodem genere sint, contrarietatem habent individua: eadem vero specie, quacumque contrarietatem non habent individua.*

XXVII. Dicis: Quocumque etiam modo communem sententiam explicemus, manebit tamen semper illud ἀδιάδοξον, quod

quod *sensus*, seu sentiens, *intelligere possit*, si in anima sensitiva *intellectus collocetur.*

XXIIX. Resp. Sentiens dupliciter considerari potest: vel in se præcise, & ut abstractum est a suis inferioribus; vel prout per certam differentiam est determinatum. Posteriori ratione non magis est absurdum, quoddam sentiens intelligere, quam, sentiens aliquod esse hominem. Tametsi enim sentiens, sensu composito, sive, *quatenus* est sentiens, non recte dicatur intelligere, id tamen haud obstat, quo minus quoddam *quod* est sentiens, recte dicatur intelligere sensu diviso: quum nec intelligens, sensu composito, seu, in quantum est intelligens, recte dicatur sentire; de quo tamen sensu diviso idipsum rectissime affirmari, nemo negat vel dubitat. Priori autem modo sentiens non recte dicitur intelligere; quum id solum intelligat quod actu intellectum habet, sentiens vero ut sic, non nisi potentia illum contineat, ceu num. XXV. est ostensum.

XXIX. Atque ita constare puto, vanum fuisse & irritum Cardani conatum illum, quo communi omnium sapientum consensu probatam sententiam, Hominem esse Animal, falsitatis convincere est ausus. Tametsi dubitare possis, an serio & ex animi sententia, num vero ingenii dumtaxat ostentandi ergo, disputationem hanc instituerit, ut qui toties alibi hominem animal appellat ipsemet, ceterisque illum animalibus, ut ejusdem generis speciem, annumerat, præsertim in opere de Rerum Varietate: ubi, libro IIX, cap. XL, pag. 514. hominem palam *animal* vocat *rationis compos*; moxque *a bellua differe* eum dicit *hoc uno quod est. ratio* & aperte animal in rationale ac irrationale his verbis dividit: *Necesse est, animal habere aut non habere hoc* (ὁ ratiocionari) *neque inter ista medium potest inveniri. Quod habet, homo est; quod non habet, bellua.* Uti paulo ante, pag. 491. 492. 494. aliquoties hominem a ceteris animalibus, tamquam

tamquam ſpeciebus oppoſitis, diſcriminat; perinde ac libro ſuperiori VII. cap. XXVI, pag. 257. 258. 265. 273. & alias. ſub cujus libri initium quoque habet quæ idem illud manifeſto confirmant, dum videlicet ait, pag. 253. *Senſus ac motus omnibus animalibus propria ſunt. Etenim omnibus ipſis, & nullis aliis, conveniunt.* Nam ſi motus voluntarius illud eſt κεφάλαιον, quo animal ab omnibus rebus, quæ non ſunt animalia, diſtinguitur, oportebit utique hominem aut motu deſtitui voluntario; quod falſum; aut etiam ab animali non diſtingui, adeoque ad animalium pertinere claſſem. Si ſenſus ac motus animalibus propria ſunt, nullisque aliis rebus conveniunt, homo vel ſenſu ac motu carebit; quod abſurdum; vel etiam erit animal. Et obſervari meretur, eſſe hos de Rerum Varietate libros, uti epiſtola nuncupatoria fidem facit, anno CIↃ IↃ LVI editos, ubi jam ſecunda operis de Subtilitate editio prodierat, quippe quam ſub initium anni CIↃ IↃ LIV publicaſſe ſe, in Apologia anti-Scaligeriana, non longe ab initio, auctor notat. Ut ita videri poſſit Cardanus novam ſuam ſententiam, quam ſecundæ Subtilitatum editioni, upote prima auctiori, jam inſertam fuiſſe veroſimile eſt in ſcriptis ſuis poſterioribus corrigere voluiſſe. Sed quum dictam illam editionem inſpicere mihi non licuerit, certi heic nihil ſtatuere poſſum. Id interim ſuperioribus addo, etiam in opuſculo de Libris propriis, quod itidem poſt libros de Subtilitate prodiiſſe, ex pag. ejus 69. apparet, mulierem, quæ utique homo eſt, *ſtultum animal* Cardano vocari, pag. 47.

XXX. At de eo quid dicemus, quod illo ipſo de Subtilitate commentario, imo eadem illa pagina, qua animalitatem hominis tanto conatu it impugnatum, vix abſoluta ſua iſta diſputatione, auctor hominem appellat *animal fallax*, pag. 798. & *animal* quod *vere loquitur*, pag. 800. Adeone igitur ſuiipſius potuit obliviſci qui *omnes memores memoria ſuperare* ſe jactat, opus-

culo de libris propriis pag. 81, ut, quem non plus animal esse dixerat, quam animal planta est, hominem, e vestigio, & non nisi octo interjectis lineolis, animal aperte nuncupet? Nimirum Notabili imprudentia heic lapsus est Cardanus, dum, quæ in prima operis sui editione ex communi eaque vera scripserat sententia, in editionibus subsequutis, ubi tamen receptæ illi sententiæ bellum indixit, non expunxit, sed plane reliquit immutata. Verum de Cardani nova sapientia nunc satis.

XXXI. Quandoquidem vero & celeberrimus ille Baro Anglus, Edoardus Herbert, vulgatam Hominis definitionem, quod sit animal rationale, *utroque termino infirmare* (sic enim loquitur) id est, tum qua genus, tum qua differentiam, oppugnare conatur, quibus fretus argumentis id faciat, itidem spectare placet prius, quam dissertationi huic imponatur finis.

XXXII. Verba igitur ejus hæc sunt, libro de Veritate, pag. 222. *Ut omnis Homo respectu hujus actionis sit Animal, respectu istius erit Vegetabile, respectu illius Elementum: quædam enim communia cum his omnibus obtinet. Neque demum semper est animal: in utero enim vitam degit vegetabilem. Neque solus: quodcunque enim sensum habet, æque est animal. Neque denique semper est rationale: ἀλογίαν enim cum bestiis communem obtinet; inde indoles ovinæ, avinæ, lupinæ, caninæ; neque solus (ut enim mittam bruta &c.) ipsa elementa habent rationem propriæ conservationis, ultra quod nihil sapit.*

XXXIII. Ubi initio observetur, quousque conveniant Cardani ac Herberti sententiæ, & quid inter eas intercedat discriminis. Cardani assertio est, quod homo non plus sit animal, quam animal planta; id est, quod neque animal planta sit, neque homo animal. Herbertus, etiamsi & ipse hominem non magis animal, quam vegetabile, id est, plantam, esse doceat, non tamen eum animal esse negat. Dum enim hominem respectu certæ actionis, vel certarum actionum, animal esse agnoscit; dum eundem non semper, nec solum esse animal, affirmat,

affirmat, hocipso animal ipsum esse largitur, etiamsi, quod animal genus sit hominis, nolit admittere, Uterque igitur hanc validam esse putat concludendi rationem: Si homo animal est, etiam est planta. Ceterum Cardano falsum est & antecedens & consequens; Herberto neutrum.

XXXIV. Sed quamobrem negat, obsecro, Herbertus, animal hominis esse genus? Primo id urget, quod homo non sit animal respectu omnium suarum actionum; sive, quod non omnes hominis actiones ab ejus animalitate proveniant; sed quædam ab anima ipsius vegetativa, quædam ex elementis, e quibus coaluit. Verum si illa ratio heic aliquid probat, neque corpus, neque substantia, hominis erunt genera, imo nullum plane dabitur ipsius genus; quod nullius formæ genericæ ea sit indoles, ut principium sit adæquatum omnium actionum quas edit species. Ita quis diceret, v. g. quod movetur homo, quod sentit, quod loquitur, ridet, ratiocinatur, ab ejus esse substantialitate, in quantum tali? Falsum proinde & omnino absurdum est primum illud fundamentum, cui suam de hominis animalitate opinionem Herbertus superstruit.

XXXV. Nec minus est παράδοξον, quod putat, cum quibuscumque rebus homo actiones aliquas aut quædam attributa habet communia, has omnes, eodem modo, quo animal, de ipso posse prædicari? Quid enim? annon varia homo habet communia cum asino, bove, lepore? annon cum trunco, fungo, plumbo, lapide? Ergo, si Herbertianæ standum Philosophiæ, nihil prohibebit, quo minus hominem asinum esse dicas, bovem, leporem, truncum, plumbum, lapidem. Neque tamen crediderim, Herbertum, vel quisquis ejus admiratur novam sapientiam, sua facturum illa Menedemi Terentiani, Heavtont. act. v, sc: 1, 3.

--- *In me quidvis harum rerum convenit*
quæ sunt dicta in stultum: caudex, stipes.
asinus, plumbeus.

vel ista Plautini Nicobuli, Bacch. act. v, sc. 1, 1.

Quicumque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac
Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones.
Solus ego omnes longe antedeo stultitia.

Male enim hæc elogia concordatura essent cum magnificis illis encomiis, quæ alias passim sibi noster arrogat, notata libro de Tribus Impostoribus sect 1, 2. Videlicet non ideo homo est & dicitur animal, quod quædam ipsi sunt cum aliis animalibus communia; sed quod formam habet animalis specificam. Qui si æque specificam agnosceret formam asini, bovis, leporis, asinus sane, bos, lepus, foret dicendus. Quia vero cum antea memoratis entibus formam non nisi genericam, vel propiorem, vel remotiorem, homo participat, quod cum asino sensum habet communem, non asinum eum efficit, sed animal; quod cum planta animam, non plantam, sed animatum; quod cum lapide materiam, non lapidem, sed corpus; atque ita porro, ad ipsam usque ascendendo entitatem, quæ cum DEO etiam ac angelis homini communis est, nec tamen DEUM illum facit aut angelum.

XXXVI. Porro pro sua firmanda opinione id affert Herbertus, quod homo non semper sit animal, ut qui in utero vitam degat vegetabilem. Cui favere omnino videtur Aristoteles, libro II de Generat. Animalium, cap. III, ubi, fætum humanum initio vitam plantæ, tum vitam animalis, demum vitam hominis vivere docet.

XXXVII. Resp. Loquitur ἀσύστατα, Herbertus. Si enim embryo animam non habet nisi vegetativam, animaque sensitiva, quæ animalis specifica forma est, destituitur, utique non est homo: quum fieri nequeat, ut sine sensitiva anima aliquid homo sit. Iam vero solum de Homine nunc quæritur; an semper & necessario sit animal, non de futuri hominis materia, cujusmodi

cujusmodi est fœtus ex Herberti opinione anima sensitiva carens. Nihil proinde ad rem facit ista objectio.

XXXIIX. Quod ad citatum Aristotelis locum attinet, non eodem modo ab Interpretibus is accipitur. Quidam enim id velle Philosophum existimant, quod in materiam, ex qua homo generatur, primum anima introducatur vegetativa, deinde sensitiva, tandem vero rationalis. Horumque iterum nonnulli tres putant reapse diversas animas semper in homine manere: aliqui vero per adventum sensitivæ vegetativam, per adventum animæ rationalis sensitivam expelli censent. Contra alii Aristotelem loqui ajunt, *non de multiplici anima, sed de eadem prius exercente nutritionem, secundo sensionem*; ceu scribit Mendoza de Gener. & Corr. disp. II, sect. IIX, §. 102. Quam interpretationem ex Alberto & Philopono repetens Franciscus Murcia, super II de Anima, disp. I, quæst. III, notare illos observat, Philosophum non dixisse, hominem *prius esse plantam, deinde animal*; sed, eum *prius vivere vita plantæ, deinde vita animalis, tandem vita hominis.* Ex horum igitur mente distinguendum heic erit inter actum primum & secundum, ac dicendum, ubi initio nutriri incipit in utero materno fœtus, actum secundum animæ sensitivæ & rationalis nondum adesse, id est, nondum actu eum sentire & intelligere; tametsi adsit omnino actus primus sive ipsa forma sentiens rationalis: animam vero vegetativam statim a primo ortu quoad utrumque actum adesse, ita ut non solum ipsa ejus substantia embryoni insit, sed & per hanc actu vivat, nutriatur, & augeatur fœtus. Id quod ζὴν φυτᾶ βίον, *vivere vitam plantæ* vocat Aristoteles, haud dubie heic respiciens ad opinionem illam, quod embryo, antequam separatur ab utero materno, non proprio ore cibum assumat, eumque suo ventriculo concoquat; sed sanguinem a matre jam digestum per umbilicum hauriat, eoque non aliter ac reliqua istius fœminæ membra nutriatur. Huc enim tendit quod habetur lib. VII. Histor. Animal. cap. IIX: αὐξάνεσθαι τὰ ζῶα πάντα, ὅσα ἔχει ὑμ-

φαλὸν διὰ τὸ ὀμφαλὸν, *Augentur animalia omnia, quibus est umbilicus, per ipsum umbilicum.* et alterum illud, lib. II. de Generat. Animal. cap. VII: οἱ λέγοντες τρέφεσθαι τὰ παιδία ἐν ταῖς ὑστέραις. διὰ τὸ σαρκίδιόν τι βδάλλειν, οὐκ ὀρθῶς λέγουσιν, *Qui infantes ali in utero ajunt sugentes carunculam quandam, non recte dicunt,* Quo ipso perstringit Democriti, Epicuri, ipsiusque Hippocratis doctrinam; quod embryo in utero materno sugat, sive per suum ipsius os alimentum capiat. Quam licet hodieque rejiciant ac impugnent communiter etiam recentiores, sine idonea tamen causa id fieri ostendit celeberrimus Medicus, Guilielmus Harveus, de Generatione Animalium exerc. LVII, ubi illam veterum sententiam multis propugnat, tandemque sic disputationem concludit: *Rationi consentaneum esse, dicendum est, ut fœtus jam perfectior perfectiore quoque modo (per os scilicet) enutriatur, alimentumque perfectius, & duobus præcedaneis coctionibus purius redditum (utpote á duobus excrementorum generibus defæcatum) hauriat. Initio quidem, per umbilicales radices alitus, plantæ vitam quandam degit; unde corpus crudum, album atque imperfectum conspicitur, &, plantæ instar, immobile atque iners manet. Quam primum verò per os eodem alimento ulterius elaborato fruitur, quasi spiritu divioriore gaudens, & sublimiore exultans vegetationis gradu, mucago dicta in carnis naturam transit, motiva organa distinguuntur, spiritus locupletantur, motumque orditur; nec jam amplius, plantarum more, per radices; sed, animalis instar, per os nutritur, & illius vitam degit.* Verum hæc obiter. Ad Aristotelem ut redeamus, sive is ita exponatur, ut nudam animam vegetativam embryoni tribuat, sive sic, ut non neget ipsi animam sensitivam quoque & rationalem, sed actus dumtaxat ejus secundos, seu operationes, parum sane juvabit Herberti causam. Quod si enim prius statuas, verum quidem erit, fœtum ex mente Philosophi sola vegetativa anima informatum non esse animal, sed non illico verum erit propterea, quod vult Herbertus, hominem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0162
DFG

nem non semper esse animal; quum hujusmodi sensitiva & rationali anima carens fœtus nequaquam homo sit. Sin eligas posterius, ubi forma adest sensitiva, ibi est animal, sive operetur forma illa, sive non.

XXXIX. Tandem communi sententiæ Animal esse hominis genus, & illud obstare putat Herbertus, quod non solus homo est animal, sed prædicatum hoc ei commune cum omnibus sentientibus. Ubi vide extremam novæ hujus sapientiæ absurditatem. Genus describit, sub initium suæ Isagoges, Porphyrius, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τὸ εἶδος, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορέμενον, *quod de multis & specie differentibus dicitur, cum, quid res sit, quæritur.* & paulo post ait: τὸ ἴδιον διαφέρει τὸ γένος, ὅτι τὸ μὲν ἴδιον καθ' ἑνὸς μόνου εἴδους ἔστιν ἴδιον, κατηγορεῖται, καὶ τῶν ὑπὸ τὸ εἶδος ἀτόμων· ὡς τὸ γελαστικὸν ἀνθρώπου μόνου, καὶ τῶν κατὰ μέρος ἀνθρώπων· τὸ δὲ γένος οὐκ ἐνὸς εἴδους κατηγορεῖται, ἀλλὰ πλειόνων τῶν καὶ διαφερόντων, *Genus a Proprio hoc differt, quod proprium de una modo specie, cujus proprium est, dicitur, iisque individuis quæ species continet; ut ridens de solo homine singulisque hominibus dicitur: Genus autem non solum de una specie dicitur, sed de multis, iisque differentibus.* Estque petita illa Generis definitio ex Aristotelis Topicorum libro I. cap. IV, ubi iisdem plane verbis habetur. uti & ceteris istis Porphyrianis gemina plane sunt quæ Topic. libro IV, cap. I, Philosophus monet, ἐπὶ πλέον τὸ γένος ἢ τὸ εἶδος καὶ τὴν διαφορὰν λέγεσθαι, *Genus ad plura quam speciem & differentiam pertinere*; sive, Genus specie ac differentia esse latius. Adde Analyt. poster. lib. II, cap. XIV, ubi modum investigandi definitiones tradens idem, a latioribus initium heic faciendum esse docet. Quæ igitur dementia cepit Herbertum, ut ideo animal genus hominis esse neget, quia non de hoc solo, sed pluribus etiam aliis dicitur? cum utique, nisi id fieret, ne quidem hominis genus esse posset. Adeo nimirum superbi isti novæ

Philo-

Philosophiæ conditores, veterisque sapientiæ contemptores *faciunt intelligendo, ut nihil intelligant.*

XL. Atque sic evidenter ostendimus, irritum fuisse conatum illum, quo Philosophis, animal hominis genus esse, docentibus, bellum tanto supercilio indixit Herbertus. Iam quod porro ad ejusdem hominis attinet differentiam, quam Rationalitatem esse itidem ipse negat, (non solum loco qui in præsenti a nobis examinatur, sed & eodem de Veritate libro pag. 273. ubi similiter eos sugillat, *qui Rationale tanquam ultimam Hominis differentiam tuentur*) etiamsi propositum nunc nobis non sit, nostram facere litem quam de differentia ista inter Philosophos agitari novimus, id tamen non possumus tacere, ejus esse conditionis argumenta quibus illam Herbertus impetit, ut, nisi solidiora magisque stringentia suppetant, vulgo receptæ sententiæ non sit magnopere metuendum. Quid enim est, obsecro, quod, hominem non semper esse rationalem, sed ἀλογίαν cum bestiis communem obtinere, ex indole quorundam ovina, avina, lupina, canina, probare nititur? Certe homines plusquam ferinam indolem præ se ferre interdum, rituque beluino sæpe vivere, nimis verum est. Sed heic cogitandum, quod aliud sit, ratione non recte uti; aliud, ἄλογον esse, seu ratione prorsus destitui. Neque etiam ex eo, quod ratione temperamenti interdum homo ad hujus illiusve bruti naturam accedit propius, statim colligendum, omnino intellectu ipsum carere. Porro quid est, quod ait, non solum hominem esse rationalem, quum & bruta, & ipsa elementa rationem habeant? Sane qui rationalitatem differentiam hominis specificam esse docent, eos, ni causa velint cadere, definitionem Rationis dare oportet talem, quæ nullo modo brutis, multoque minus elementis convenire possit. Si autem ludatur forsan ambigua vocabulorum *rationis* & *rationalis* significatione, disputatio omnis in λογομαχίαν tandem desinet doctis & veritatis amantibus viris indignam.

XLI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn788765779/phys_0164
DFG

XLI. Mirari vero subit heic, tam discordibus cantare tibiis qui vulgarem Hominis differentiam, ut minus accuratam impugnant. Herbertus videlicet ideo eam rejicit, quod Ratio non solius hominis, sed cum brutis aliisque rebus ipsi sit communis. Alii contra, uti in genere animalium non dari, præter hominem, quod rationis sit particeps, ambabus largiuntur (in subsidium vocantes heic ipsius Aristotelis auctoritatem, 1. Metaphys. 1. scribentis: τὰ μὲν ἄλλα τοῖς φαντασίαις ζῇ καὶ τοῖς μνήμαις, ἐμπειρίας δὲ μετέχει μικρόν· τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ τέχνῃ καὶ λογισμοῖς, *Cetera* animalia *phantasiis ac memoriis vivunt, experientiis vero parum participant: humanum autem genus arte etiam ac ratiocinationibus.*) ita ob hoc ipsum τὸ rationale in definitione Hominis differentiæ vices subire non posse, acriter contendunt.

XLII. Nimirum existimant qui posteriorem hanc tenent sententiam, in definitionibus non genus dumtaxat, sed & singulas differentias definito latius patere debere: quod exstructam esse oporteat definitionem ex natura prioribus & notioribus, notius autem esse nequeat nisi quod sit latius. Quam doctrinam inprimis deducunt ex II. poster. Analyt. XVI. ubi modum definiendi tradens Philosophus, primo genus in definitione ponere, hoc vero postea dividere jubet in primas differentias: sub quarum una quum rem definiendam contineri necesse sit, hæc rursum, ex ipsius mente, dividenda, atque sic procedendum, donec omnes deprehensæ differentiæ: quæ singulæ quidem latius definito patent, omnes vero simul cum genere sumptæ, ejusdem cum ipso sunt latitudinis.

XLIII. Hoc igitur jacto fundamento, quandoquidem, communi heic acquiescentes sententiæ, Hominis genus Animal esse statuunt, secundum Aristotelem vero, lib. I. Histor. Animal. cap. 1. variæ sunt animalis differentiæ, & quidem, si ad vivendi rationem attendatur, animalium quædam sunt ἔνυδρα, aquatilia, quædam χερσαῖα, terrestria; horumque iterum alia

πτηνὰ,

πτηνὰ, volatilia, alia πεζὰ, pedestria, alia ἀμφοτερόζωα, intermedia, seu, quæ partim in aqua, partim in terra vivunt; primo ut certum ponunt, hominem animal esse terrestre. Quia autem non omne animal terrestre homo est, ulterius differentiam hanc dividunt; & quandoquidem homo nec volatile est nec mediæ conditionis animal, eum animal terrestre pedestre esse ajunt; per *animal pedestre* (ζῶον πεζὸν) id intelligentes, quod pedes tantummodo movet, quando victum ad vitam sustentandam in terra quærit, & cui natura nec alas ad volandum dedit, nec ulla præter pedes instrumenta, quibus progressum promoveat. Porro quum non omne animal terrestre pedestre sit homo, amplius pedestria animalia cum Philosopho dispescunt in πορευτικὰ, reptilia, s. quæ serpunt, & εἰλητικὰ, tractim ac in orbem veluti se moventia; hominemque esse dicunt animal terrestre, pedestre, gressile. Sed quum nec hujusmodi animal omne homo sit, 7ò gressile etiam in bipes, quadrupes, atque id quod multorum pedum est, subdividitur: ut tandem, quum homo bipes sit, talis ejus nascatur definitio, quod sit *animal terrestre pedestre gressile bipes.*

XLIV. Nos, uti jam supra fuit monitum, nolumus in hæc inquirere curiosius: quibus consilium est, non de tota Hominis definitione, sed genere dumtaxat ejus, nunc agere. Aliis igitur disquirendum & arbitrandum relinquimus, utra pluribus ac gravioribus difficultatibus obnoxia sit definitio: an illa receptior, quod Homo *animal rationale* sit? num vero altera ista, quam, ceu Aristotelicis principiis magis congruam, solent propugnare qui priorem ut minus accuratam rejiciunt, quod sit *animal terrestre pedestre gressile bipes*? idque solum dicimus: si cum Apollinarista congressurus Theologus, non alia sit quam posteriori illa Hominis definitione instructus, difficilem ei pugnam cum adversario fore, palmamque omnino dubiam redditum iri. Ecce enim. Hæreseos postulatur ab Ecclesia Apollinaris,

linaris, celebris ille Laodicenæ Eccleſiæ ſeculo quarto Epiſcopus, quod *humanitatem* CHRISTI *diviſerit*, ceu loquitur Gregorius Nazianzenus orat. x, (quæ eſt III de Pace) vel, *hominem in Deo imminuerit*, uti Auguſtinus lib. XXCIII. de diverſis Quæſtionibus, quæſt. LXXX, ait; ſive, ut idem ſcribit ſerm. CXCI & CXII. de tempore, quod dixerit, *Dei filium minus aliquid de humana ſuſcepiſſe natura*, adeoque ei *verum hominem copulare timuerit*. Docuit nimirum Apollinaris, CHRISTUM habuiſſe quidem corpus & animam *vegetativam* atque *ſenſitivam*, animam vero *rationalem* ſeu *mentem* non habuiſſe, ſed ejus vicem ſuppleviſſe τὸν λόγον, ſive divinam naturam. Quam ipſius fuiſſe ſententiam, clare teſtatur Auguſtinus Expoſit. in Johannẽ, Tract. XLIIX, quando, de Apollinariſtis verba faciens, *Videte*, ait, *abſurditatem & inſaniam non ferendam. Animam irrationalem Chriſtum habere voluerunt, rationalem negaverunt. Dederunt ei animam pecoris, ſubtraxerunt animam hominis.* uti & Enarrat. in pſalmum. XXIX, iterum de Apollinariſtis agens, *Illi*, inquit, *Hæretici dixerunt, hominem illum, quem ſuſcepit Verbum, cum Verbum caro factum eſt, non habuiſſe mentem humanam; ſed tantum animam ſine intelligentia humana fuiſſe. Hominem enim videtis. Unde conſtat? ex anima & corpore. Sed ipſa anima habet aliquid, quod non habent animæ pecorum. Nam & pecora animam habent, & animalia vocantur. Non enim vocarentur animalia, niſi ab anima. Et videmus quia & ipſa vivunt. Sed quid habet amplius homo, unde factus eſt ad imaginem Dei? quia intelligit & ſapit: quia diſcernit bonum a malo; in hoc factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Habet ergo aliquid quod non habent pecora. Illi igitur hæretici, qui dixerunt, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum non habuiſſe mentem humanam, & illud quod* λογικὸν *Græci dicunt; nos dicimus rationale, unde homo ratiocinatur, quod non habent cetera animalia, quid dicunt? Ipſum Verbum Dei hoc erat in illo homine promente. Excluſi ſunt iſti, reſpuit illos Catholica fides, qui hæreſin fecerunt: & confirmatum eſt in Catholica fide,*

hominem illum, quem suscepit Sapientia Dei, nihil minus habuisse quam ceteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ. Confer ejusdem Augustini librum de Hæresibus ad Quod vult deum, hæres. LV, lib. VII. Confessionum, cap. XIX, Epistol. CXX, cap. IV. & adde Epiphanium Hæres. LXXVII, Gregorium Nazianzenum Tract. XLIX, sive epistola II. ad Cledonium Presbyterum, & Tract. XLV, seu epistola ad Nectarium, Constantinopolitanum Episcopum. quem posteriorem locum repetit Sozomenus lib. VI. Hist. Eccl. XXVII. Adi insuper Ruffinum lib. II. Hist. Eccl. cap. XIX, Socratem lib. III, cap. XXXVII, Theodoritum Histor. Eccles. lib. V, cap. III, & de Hæreticis fabulis lib. IV, hæres. X, Nicephorum lib. IX, cap. XVII, lib XI, cap. IV. Item Athanasium; apud quem, Dialogo IV. de Trinitate, diserte Apollinarista: καὶ ἡμεῖς λέγομεν, ὅτι αἴσθησιν εἶχεν τὸ σῶμα, ἐν ᾗ καὶ ἤσθετο τοῦ πάθους, *Et nos* Apollinaristæ *dicimus quod corpus* CHRISTI *sensu fuerit præditum, quo etiam id, quo afficiebatur, senserit.* Sed & notatu dignum est discrimen illud, quod inter Arii & Apollinaris dogma Svidas, in voce Απολλινάριος, observat, τῶν ἀρριανῶν, inquiens, ἄψυχον πάντη λεγόντων τὸν τοῦ κυρίου σάρκα, αὐτὸς (Απολλινάριος) ἔφη, ὅτι σάρκα μὲν ἐμψυχωμένην ψυχῇ ζωτικῇ ἀνέλαβεν ὁ κύριος, νοῦν δὲ τὸν ἡμέτερον οὐ προσήκατο. Μηδὲ γὰρ δεηθῆναί φησι τὴν σάρκα ἐκείνην ἀνθρωπίνου νοός, ἡγεμονευομένην ὑπὸ τοῦ αὐτὴν εἰδεδυκότος Θεοῦ λόγου, *Cum Arrhiani prorsus inanimam Domini carnem dicerent, ipse* (Apollinaris) *dicebat, carnem quidem anima animalis præditam Dominum assumpsisse, nostram vero mentem non admisisse. Dicit enim, opus fuisse humana mente illi carni, quæ gubernabatur a Dei Verbo, quod ipsam induerat.* Quibus conformia, quæ ex recentioribus habet Martinus Chemnitius, lib. de duabus naturis in Christo cap. III: *Arriani, sicut Athanasius & Cyrillus referunt, finxerunt, carnem Salvatoris nostri* πάντη ἄψυχον, *hoc est, simpliciter inanimatam esse, sed in illo corpore loco animæ vegetativæ, sensitivæ, rationalis, fuisse alteram naturam Christi, ita ut non tam humanam*

natu-

naturam, quam superficiem ejus, assumserit. Apollinaris verò disputavit, Christum assumsisse quidem corpus vivens, hoc est, anima vegetativa & sensitiva præditum; negavit autem, mentem humanam, seu animam rationalem, Christum assumsisse, sed divinitatem in illo corpore fuisse loco mentis, seu animæ rationalis. item quæ leguntur apud Johannem Gerhardum, in Exegesi Loci de Persona Christi, cap. VI, 91. Ubi enim de ἀψύχοις agere is incipit, *Illorum*, inquit, *duæ fuere classes. Quidam finxerunt*, λόγον assumsisse carnem πάντη ἄψυχον, *omni anima, etiam sensitiva ac vegetativa, destitutam, ut Ariani. Quidam disputarunt*, λόγον assumsisse corpus vivens, *hoc est, anima vegetativa & sensitiva præditum, sed anima rationali destitutum, divinitatem autem loco animæ fuisse; ut Apollinaris & ipsius asseclæ.* Cujusmodi testium nubem producere heic visum fuit, ut de genuina Apollinaris sententia constare possit rectius. quæ sane a multis scriptoribus sic aliquando proponitur, ut dubius relinquatur lector, num rationalem dumtaxat, an vero præter hanc sentientem quoque animam Christo Servatori ille negatum iverit. Quum proinde Apollinaris neque vegetativam, neque sentientem, sed solam animam rationalem Christo negaverit; quid futurum, obsecro, si quis, ab hæresi ipsum liberaturus, qua humanæ Christi naturæ veritas evertitur, hunc in modum argumentetur:

Qui docet, Christum esse animal terrestre pedestre gressile bipes, is præter meritum insimulatur, quod veritatem humanæ Servatoris naturæ destruat;

Apollinaris docuit, Christum esse animal terrestre pedestre gressile bipes;

Ergo præter meritum insimulatur, quod veritatem humanæ Servatoris naturæ destruxerit?

Quid heic dicent illi, qui hominem omnium optime definiri censent, quod sit *animal terrestre pedestre gressile bipes*? Certe majorem illius argumenti propositionem in dubium vocare

nefas ipsis, quippe immoto huic principio innixam: *Cui competit definitio, eidem & competit definitum.* De minori vero neminem dubitare sinunt, quæ paulo ante ex tot gravissimis scriptoribus dedimus, perspicua testimonia.

INDEX
in
Librum de Tribus Impostoribus.

A.

ANgelorum existentiam negat Spinosa pag. 85.

Animæ immortalitatem negant Hobbius & Spinosa. 73. 99. seqq.

Apostolorum munus fuit præcipuum, ut testes essent resurrectionis & adscensionis CHRISTI. 110. seqq.

Apostolos non ex revelatione, sed naturali judicio Epistolas suas scripsisse Spinosæ asserti est. 85. seqq.

Eosdem diversis fundamentis Christianam religionem superstruxisse atque inde tot contentiones & schismata in Ecclesia enata fuisse, idem affirmat. ibid.

Eosdem deceptos in hoc fuisse ait, quod CHRISTUM a mortuis resuscitatum conspexisse se putaverint. 108. seqq.

Apollonius & Apulejus solebant primævis Christianis objici, ut qui eadem cum Jesu Naz. patrassent θαυμαστα. 47. 48.

Aretinus nonnullis creditur esse auctor libri de Tribus impostoribus. 3.

Atheorum appellatio quam late pateat. 15. 16.

Atheismo fores doctrina sua se obstruere gloriatur Herbertus. 10. 11.

Ipse vero potius plenis velis Atheismum in orbem invehere satagit. 15. seqq.

Atheismus quo sensu Herberto objiciatur. 15.

Augustinus indigne fert, CHRISTI nomen ab hominibus paganis haberi ludibrio. 115.

Belgi-

B.

Belgium omnium Atheorum & fanaticorum Africa. 81.
Bellum ut quis gerat, sufficere ipsi, ejus rei voluntatem habere, affirmat Spinosa. 106
Bonum & malum natura nihil esse, sed quid utrumque sit, auctoritate solum civitatis summæque in ea potestatis decerni, Hobbius & Spinosa docent. 103. seqq.

C.

Caussa efficiens interna & caussa per emanationem. 94.
CHRISTUM magni æstimare videri vult Spinosa: sed fraudulenter agit. 107. 108.
Eum vero resurrexisse, inq; Cælum adscendisse palam negat. 109. 110.
CHRISTO impostura per immanem blasphemiam a Paganis & Judæis impingebatur. 41.
CHRISTI satisfactionem præ ceteris fidei nostræ mysteriis vellicant Herbertus & Hobbius 39. seqq. 73.
CHRISTUM fidemque Christianam jubente summo magistratu, abnegari sine peccato posse, statuit Hobbius. 67. 68.
Eundem in doctrina de bonorum & malorum existentia similibusque dogmatibus falsis ad vulgares judæorum opiniones se accommodasse, affirmat Spinosa. 85.
CHRISTI Spiritum Gentes etiam & Turcas habere Spinosa docet. 107.
CHRISTI nomen professi, si in eundem contumelioſi sint, longe pejus peccant quam blasphemi Pagani 117.
Christiana religio incertitudinis & vanitatis insimulata a Paganis 30.
Eadem ipsis dicta persuasio, præsumtio, uti Christiani Præsumptores. ibid.
Eadem accusata novitatis. 33.
Eadem ut fatua, stolida, absurda maximeque noxia ab infidelibus traducta. 38. 39.
Eandem ex Philosophorum suorum scholis petitam esse cavillabantur Pagani. 33. 34.

Eadem celerrime fuit propagata. 35. *seqq.*
Christianam religionem qua ratione per sua principia evertere satagat Herbertus 17. *seqq.* 34. 35.
Ejus interitum uti olim sperarunt Pagani: sic nostro tempore Herbertus & Spinosa 49. 86
Christianis primævis obstinatio, pertinacia, stoliditas, a Gentibus objecta 37. *seqq.*
Iidem impostores, sophistæ, præstigiatores infidelibus audiebant. 41.
Iidem simplices, indocti, agrestes, paganis dicebantur. 80.
In eosdem calumniæ aliæ sparsæ. 118.
Iisdem insultat Spinosa, quod sola commodi atque utilitatis spe omnia metiantur, dum præmia virtutis post mortem sibi promittant. 100.
Iidem ut homines factiosi & rebelles traducebantur, quod antiquo repudiato Deorum cultu, novam CHRISTI religionem amplectebantur. 63.
Concordiam Ecclesiasticam doctrina sua promoveri gloriatur Herbertus 10. 11.
Consensum universalem unicam veritatis normam facit Herbertus 9. 16. 17. 26.
Conscientiæ tranquillitatem ex sua Theologia nasci jactat Herbertus. 10.
Controversias Theologicas determinandi jus esse penes summam potestatem civilem, docet Hobbius. 59.
Credulitas Christianis cum a Paganis tum ab Herberto objecta 30. 31.

D.

Dei cognitionem naturalem negat Hobbius. 55. 56.
Deum substantiam esse corpoream idem statuit. 73.
Dei existentiam tametsi agnoscere videri vult Spinosa, revera tamen non agnoscit, sed ambiguitate imponens DEI voce intelligit Naturam, sive hoc Universum. 92. *seqq.*
Et huic tam impiæ sententiæ ex ipsa Scriptura S. testimonium quærere non erubescit. 96.

Deum

Deum quo sensu omnium rerum caussam immanentem appellet spinosa. 94. seqq.
Deum Quomodo definiat idem 95.
Dei providentiam ridet & exagitat Spinosa 96. 97.
Deum i. e. Naturam necessario agere, quidquid agit, ejusdem assertio est. 98.
De Deo quam reverenter loquendum. 117.
Diaboli existentiam negat Spinosa 85. 98. 99.

E.

Ecclesiæ auctoritati aliquid tribuere videri vult Herbertus. 13. 14.
Ecclesia Catholica quænam ipsi sit. 18.
Ecclesia quid notet Hobbio. 73.
Enuntiationem omnem vel veram vel falsam esse, quo sensu doceant Philosophi. 6.
Eulalia, virgo Christiana, Paganorum idola pedibus conculcat 64.
Extensio attributum Dei est Spinosæ. 95.

F.

Falsum cum impossibili confundit Herbertus. 6.
Fidem Christianorum ab auctoritate mere humana pendere docet Herbertus 19. seqq. 25.
Fidem justificantem impie idem sugillat 39. seqq.
Fidem non necessario requirere vera dogmata, sed posse etiam falsissima quævis credenda recte proponi, Spinosæ assertio est. 90. 91.
Fidei doctrinam unumquemque posse, imo debere, suo captui ingenio, & quas tenet, opinionibus, convenienter intelligere ac interpretari; adeo ut qui plane contrarium fovent, de rebus divinis sententias, eandem nihilominus fidem, quod ad externum verborum sonum attinet, profiteri queant. 90. seqq.
Fœdus solvere unicuique civitati licere, quando vult; nec habere tunc confœderatam civitatem de quo queratur, sed suam potius stultitiam debere accusare, quod alteri crediderit, Spinosæ dogma est. 106.

Friderici II. Imper. effatum de Tribus impostoribus. 3.

G.

Gentiles quid a Christiana religione amplectenda absterruerit. 117. *seqq.*
Gentilium sapientes absurdum Deorum cultum retinente conscientia sectati sunt. 68. 69.
Quomodo Legibus introductam πολυθεότητα. excusarint 69.

H.

Hæresium omnium vim per suæ Theologiæ principia elidi gloriatur Herbertus. 10.
Herbertus quantæ dignitatis vir fuerit. 4.
Stipendia in bello meruit. 7.
Quos libros ediderit. 5.
quantum sibi suisq; inventis & scriptis tribuat. 5. 7. 8.
quomodo Doctores alios receptamque Scholarum doctrinam contemnat, 5. 7. 8.
quam vana ejus sit jactantia. 6.
tenebricosa & ænigmatica scribendi ratione data opera utitur. 48.
ejus ἀπαιδευσία. 6.
ejus simulata pietas. 9. *seqq.* 12.
ejus quinque articuli homini salvando necessarii. 8.
quanto studio illos articulos indagaverit. 8. 9.
quantum articulis istis tribuat. 9. *seqq.*
Dei se causſam agere & ejus gloriam quærere profitetur. 9. *seqq.*
institutum suum primarium callide dissimulat. 13. 32.
non vult videri veræ religioni per suas doctrinas aliquid detrahere, aut statuere quidquam fidei bonisque moribus adversum. 13. *seqq.*
Interim Christianismi dogmata tanquam absurda & semet evertentia passim vellicat. 38. 39.
& Christianis doctoribus quin Mosi, Prophetis, Apostolis, ipsique Christo, impostura objicit. 42. *seqq.*
Item omnia veterum paganorum in Christianorum capita exonera-

onerata convicia & calumnias repetit, suasq; facit. 30. seqq.
Non constat sibi in doctrina de veræ religionis negotio. 31. 32.
Ejus præcepta & monita ad hæredes & nepotes. 12.
Ejus impostura maxima. 49. 50.
Hobbes æque ac Herbertus, elatissimi animi scriptor, & summe φίλαυτος. 51. seqq.
De illo virorum doctorum, ipsorumq; ejus civium judicia. 52. seqq.
judicia contraria quorundam Gallorum. 74.
Ejus libri, qui extant. 50. 51.
Christianismi fundamenta perinde atq; Herbertus, concutere satagit, quanquam diversa methodo. 54.
Conspirat cum antiquis Paganis. 61. 64. 65.
Christianam religionem seditionis postulat. 64. 65.
Falsa ejus protestatio, nihil in scriptis suis tradere se doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ publicæ adversum. 72.
Dogmata ipsius præcipua. 73.
Eorum abominanda fœditas tantum odii in auctorem concitavit, ut nec in patria, nec extra eam, tutum subsistendi locum inveniret. 74.

I.

Idololatria Paganorum qua ratione a sapientioribus excusata fuerit. 69.
Impostura & fraudes, tum ab antiquis Paganis, tum ab Herberto, aliisq; recentioribus Atheis, Christo, Prophetis, Apostolis, Christianisq; in universum omnibus, objiciuntur. 3. 4. 40. seqq
Intellectus quo sensu subjici dicatur Hobbio summæ potestati civili. 66. 67.
Infernum nullum agnoscit Spinosa. 99. seqq.
Infernales pœnas post consummationem seculi nullas fore, Hobii doctrina est. 73.
Jus Naturæ cujusmodi comminiscantur Hobbius & Spinosa? 103. 105. 106.
Illud non sana ratione sed cupiditate & potentia determinari, nec quidquam eo prohiberi censent, nisi quod nemo potest. 104. 106.

Iustitia & charitas quam toties Spinosa commendat, quamque Spiritus S. fructum esse dicit, cuius sit indolis. 107.
Justitia & injustitia, secundum Spinosam a sola potestate civili vim juris accipiunt. 104.

L.

Legem summam Naturæ esse, ut unaquæque res in suo statu, quantum in se est, conetur perseverare, idq; nulla alterius, sed tantum sui habita ratione; axioma Spinosæ est. 105.

M.

Macenas Augustum cultum Deorum peregrinum detestari docet. 62.
Malum & bonum natura nihil esse, sed, quid utrumq; sit, auctoritate solum civitatis, summæq; in ea potestatis, decerni, Hobbius & Spinosa docent. 102. *seqq.*
Miraculis quantum tribuat Herbertus. 45. 46.
Miraculis ni fidem sibi fecerint Theologi & Concionatores nullo modo in religionis negotio audiendos esse, docet Hobbius. 58.
Mosis auctoritatem qua ratione dubiam & suspectam reddere nitatur Hobbius. 57. *seqq.*
Muhammedani quomodo notas Ecclesiæ Pontificias ad suam applicare superstitionem nitantur. 71.
Mundum a se ipso exstitisse docet Spinosa. 96.

N.

Naamanis Syri exemplum perperam pro se citat Hobbius. 68.
Natura Spinosæ est Deus. 92. *seqq.*
Naturam propter finem agere negat idem. 98.
Naturæ statum qualem comminiscantur Hobbius & Spinosa. 105.
In eo nullum locum justitiæ aut charitati esse statuunt. 104.
Item, in eo unicuiq; facere licere quæcunque & in quoscunque potest, & libet. 105.
Mensuram juris in hoc statu esse utilitatem censent. 105.
idq; nulla alterius sed tantum sui habita ratione. 106.

Noti-

Notitias communes unicam veritatis normam facit Herbertus. 9. 16. 17. 20. seqq.

O.

Ochinus auctor esse creditur nonnullis libri de Tribus Impostoribus. 3.
Oldenburgius auctor Spinosæ est ut opera sua Philosophica & Theologica edat. 78.
Orphea Spiritum Sanctum habuisse docet Celsus. 107.

P.

Pacem publicam & privatam Theologia sua stabiliri iactat Herbertus. 10. 11.
Paulum Apostolum impostorem omnium maximum vocat sceleſtissimus Julianus. 41.
Eundem ut hominem inficetum traducit, ipsiusq; doctrinam impie exagitat Herbertus. 40.
Peccatum non dari, nisi in ordine ad civitatem cui obedientia negata Spinosa docet. 103.
Pietatem vitæq; sanctimoniam doctrina sua promoveri Herbertus gloriatur. 11.
Pœnitentiam, qualem homini peccatori necessariam esse Scriptura S. docet, creditq; Ecclesia, Deo minime placere, Spinosa statuit. 102. 103.
Poggius Florentinus nonnullis auctor esse creditur libri de Tribus Impostoribus. 3.
Polycarpi sanctissimus sermo cum juberetur CHRISTO convicium facere. 118. 119.
Possibile quid sit Herberto. 6. 7.
Potestas civilis sola jus habet determinandi, quid justum, quid injustum, quid pium & quid impium secundum Spinosæ Philosophiam 104. 105.
Potestati summæ civili, ut in aliis omnibus, sic quoque in religionis negotio obediendum esse absolute, ejusque judicio & arbitrio intel.

intellectum simpliciter submittendum Hobbii & Spinosæ axioma est. 59. 60. 66. seqq. 111. seqq.
Præmia pœnasq; post hanc vitam superesse nullas, Spinosa docet. 99. seqq.
Prophetæ requisita quænam sint, ex Herberti sententia. 43. seqq.
Prophetas Ecclesiæ judaicæ pro impostoribus habet Herbertus. 44. seqq.
Iidem homines melancholici, phantastici, & stolidi, quiq; ex præconceptis falsis ac absurdis opinionibus multa scripserunt, e sententia Spinosæ 83.
Iidem, rursum Spinosa judice, homines magis irritaverunt, quam correxerunt. 114.

R.

Rationis humanæ cæcitas. 32.
Religionem veram cum orbe condito cœpisse & ad finem usq; ejus durare oportet. 48.
Religionis summam a supremo potestatis civilis arbitrio pendere docet Hobbius. 100.
Religionis mutationem quantopere detestati sint veteres Idololatræ. 61.
& quas ob caussas. 62.
Religioni a majoribus acceptæ quam pertinaciter iidem adhæserint. 65.
Revelationem magni facere videri vult Herbertus. 13. seqq.
Quæ vero genuina ejus heic sententia. 19. seqq. 23. 24.
Eandem incertam reddere summa etiam ope nititur Hobbius. 56. seqq.
Quæ de eadem Spinosæ sit sententia. 83. seqq.
Robathami Angli, de Hobbii portentosis dogmatibus carmen. 52. seqq.

S.

Salus & beatitudo, quam probis pollicetur Spinosa, cujusmodi sit. 102.
Scripturæ S. eximiam auctoritatem tribuere videri vult Herbertus 14.
revera autem pessime de illa sentit, nec nisi verisimilia esse vult, admodumq; incerta & suspecta, partim quoq; omnino falsa quæ in illa traduntur. 19. seqq. 24. 26.

eandem corruptam esse docet, ambiguamq; & Lesbiam credulitatis regulam appellat. 25. 27. seqq.
imo eodem loco illam habet quo Talmud & Alcoranum. 28. 29.
Scripturæ S. auctoritatem, interpretationem, canonizationem a summa potestate civili suspendit Hobbius. 54. seqq. 59. 60. 61. 72. 73.
Scripturam S. magni omnino facere videri vult Spinosa. 79. 87. 88.
in ea tamen multa occurrere falsa, fabulosa ἀσύστατα, sibiq; directe adversa, idem affirmat. 82. 86.
Scripturæ S. corpus non integrum ad nos pervenisse, sed ejus duntaxat fragmenta habere nos, docet Spinosa. 87.
Scripturæ libros non a Mose & Prophetis, sed multis demum seculis post auctorum, quorum nomina præferunt, mortem fuisse conscriptos, Hobbii & Spinosæ assertio est. 87.
Spinosa quis & qualis. 75. seqq. 81.
Vocatus ad professionem Philosophicam Acad. Heidelberg. 76.
Quæ scripta ediderit. 76. 77.
Videri vult Christianismi principiis nequaquam adversari. 77. 88. seqq. 107. s.
& Atheismum abominari. 77.
nihilq; docuisse quod pietati patriæq; Batavia legibus non consonet. 79. 97.
sed Protestatio ejus facto contraria est, merisq; dolis & fraudibus lectorem circumvenire satagit. 89. seqq. 101. s.
Celsi non semel premit vestigia. 99. 107. 109.
summum hominis Bonum in amore hujus universi, sive Naturæ, constituit. 100.
Spiritus S. internum fidei testimonium ridet Herbertus. 22.
Spiritum S. etiam Paganis tribuunt Celsus & Spinosa. 107.

T.

Theologos Christianos eorumque doctrinam acerbe traducit Herbertus. 9. 16. 17.
Insanos & mente captos illos vocat. 9.

Athe-

Atheismo viam ipsos sternere cavillatur. 11.
De Tribus Impostoribus liber an extet. 3.
Ejus quis auctor. 16.
Trinitatis dogma quomodo pervertat Hobbius. 73.
Turcæ Imperatori suo jus interpretandi Alcoranum tribuunt. 70. 72.

V.

Verisimile quid Herberto sit. 6.
Verum cum certo confundit Herbertus. 6. 18.
Vitam aliam post hanc superesse negat Spinosa. 99.



um Bellarmini 7. quod majestas divinorum
um lingvam reqvirat magis gravem, quam
quibus vulgo utimur.
xamen.
onysii ex Hierarch. Eccles. nihil facit pro
ino;
monium Basilii ex libro de Spiritu S.
igenis ex homil. 5. in Numeros.
e denique locus Chrysostomi ex homil. 24.
bæum.
tificiis Canes sunt & Porci.
honor in Episcopos Papamq; Rom. redun-

Hieronymus quo pacto non expedire judi-
mnes sine delectu Scripturas tractent.
cis Ecclesiæ Dd. Tractare, Tractatores,
s.
Bellarmini nimis crassa est, quod apud
tes omnis generis opifices etiam e pulpi-
loquia tractent.
De verbis Basilii apud Theodoritum.
onymi & Epistola ad Paulinum.
S. scrutinium etiam in puellis & vetulis
nus commendat.
us quo pacto nostræ sententiæ funda-
ertere conetur.
Locus 1. Cor. 14. expensus & vindicatus.
male citatus a Bell.
cto loco comm. 29 & 30. agat de Collatio-
lloqviis fidelium in Ecclesia.
, quæ pro sua interpretatione Bellarmi-
it,